DE MYSTERIIS GRATIÆ DIVINÆ
SIVE
DE SALUTIFERO DOMINICÆ INCARNATIONIS MYSTERIO

AC DE CONSECTARIIS EJUSDEM

TRACTATIO THEOLOGICO-POLEMICA

SUMMATIM COLLECTA

STUDIO

FR. CONSTANTINI M. BATTINII

ORDINIS SERV. B. V. MARIAE IN IMP. ET R. PISARUM ACADEMIA SAC. THEOL. LECTORIS .

VOLUMEN ALTERUM.

PISIS

E TYPOGRAPHEO PROSPERIANO

M. DCCC. XXVIII.

DE MYSTERIIS GRATIÆ DIVINÆ

SECTIO III.

DE DIVINÆ GRATIÆ AUXILIIS.

I. Optandum foret, ut illa Divina Lux, quam cælestem Gratiam nuncupamus, quæque aut ad bonum excitat corda hominum, aut in eorum animis diffunditur ad justitiam eis tribuendam et sanctitatem, nostræ mentis acie conspiceretur. Non sane tunc contingeret detestanda perversitas, ut homines plerumque eam negligerent, aut aliud quidpiam inquirerent præter ipsam; sed amore sui ita animos afficeret omnium, ut ejus candore illecti tantummodo ipsam diligerent, atque in ipsa perpetuò optarent conquiescere. At ignoratione nequitiaque obruti Adæ filii non pauci de illius amissione neque lugent, neque tristantur; et quasi ea destituti felices esse unquam possent, nullam impendunt operam, qua hoc deperditum summum bonum iterum nanciscantur. Quod igitur amiseramus ob noxam Adæ, ipsum est quod per Domini Jesu Christi merita nobis offertur. Hinc quàm sit excelsum, sublime, ac divinum prorsus hóc Gratiæ donum inde intelligere datur ex quo totum Redemptionis opus, opus utique infinitæ clementiæ infinitæque virtutis, ad illud nobis comparandum elar-

giendumque dispositum fuerit et ordinatum. Rectè igitur, postquam salutiferum hoc Dominicæ Incarnationis Redemptionisque mysterium contemplati sumus, ad finem præcipuum, atque ad effectum principem hujus operis animum mentemque convertimus, Opus a sæculis æternis nobis a divina pietate præparatum non modo ut a pœnis absolveret conditioni nostræ debitis, sed ut ad consortium etiam divinitatis nos ipsos eveheret. *En qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur et simus!* Ita Joannes Ap. fideles alloquebatur I. Epist. c. 3. Quanti ergo facienda non erit Christi Gratia, quæ a potestate nos eruit tenebrarum ac transfert in admirabile Dei lumen et Regnum? Prompto itaque hilarique animo ad hunc fontem Gratiæ accedamus; nam ut habet Salomon in *Lib. Sapientiæ* c. V. v. 13. *Hæc facile videtur ab his qui diligunt eam, et invenitur ab his qui quærunt illam.*

II. Arduam quidem et scopulis undique obsitam adorimur disputationem tot summorum ingeniorum naufragio terrificam, ipsa tamen Gratia duce, quæ ad omnem deducit veritatem, feliciter ad portum appellere non dubitamus. Verum est, quod si internam Gratiæ vim, si operandi rationem, si mensuram distributionis, ac potissimum si illius cum humano libero arbitrio concordiam propius perscrutari tentabimus ac præterea salebrosas cum hæreticis concertationes, nec minus implexas inter ipsos catholicos disputationes rimari; multa utique tenebricosa ac humanæ menti impervia occurrent. At minimè animum despondere oportet. Regia incedemus via Ecclesiæ doctrinis firmiter inhærendo, et adnotando diligenter, inter plures de Gratia

Christi disceptationes alias ad fidei dogmata pertinere, alias verò ad Scholarum placita, quæ etiamsi dogmata illustrent, *salva tamen fide aut ignorantur*, ut S. Augustinus ajebat *L.* 2. *de Pecc Orig. c.* 23. *aut aliter quam sint conjiciuntur*. In illis ergo unitas perfecta servanda est, in his autem integra libertas. Nec ii ullo modo audiendi, qui in illis quæstionibus, quas non diremit Ecclesiæ auctoritas, cæteris laqueos injicere tentant, eâque alios libertate spoliare, quam servare ipsi nituntur. Imitandum itaque S. Cælestini Pont. Max. prudentissimum institutum qui *Epist. ad Galliæ Episcopos*, postquam rata Ecclesiæ decreta circa Gratiam hanc enumeraverat, adjecit: *Profundiores verò difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita nec necesse habemus ea adstruere*.

III. Sed in hoc argumento duas præcipue hæreses e diametro sibi oppositas impugnare opus est, Pelagianam et Jansenianam, quorum prior (scribit Hon. Tournely in Præf. ad Prælectiones De Gratia Chr.) interiorem Dei Gratiam e medio tollit, posterior hominis libertatem evertit: Illa naturæ vires integras adstruit, ista vult esse omnino deperditas: Illa semoto morbo medicum inutilem reddit ac innatam hominis superbiam nutrit et fovet, ista verò fructum Sanguinis Christi ac effusam Dei pro salute omnium voluntatem plus æquo restringit ac limitat, nec non Christianæ spei fundamentum convellit, et vel in socordiam pertrahit, vel in desperationem. Diversa quidem, atque hinc et inde opposita hæresis, sed eadem utrobique hæresis indoles, in-

genium idem superbum, contumax, sinuosum: eædem fallendi artes fucata pietate, simulata modestia, ambigua verborum significatione, superbo aliorum contemptu, ac legitimæ potestatis despectu audaci. Mirus doli ac fraudis artifex fuerat Pelagius. Sub verbis ambiguis ita callidè et argutè suum involvebat errorem, ut ipsemet S. Augustinus acutissimo licet ingenio præditus pene deceptus sit: quibus artibus ratio agendi accedebat ad fallendum mirè composita. At non minus iisdem technis Janseniana hæresis animos occupavit, catholicisque illusit. Nam Baii errore circa delectationem relativè sive per gradus superiorem ac victricem retento, Thomistarum larva assumpta, et ambigua significatione vocis *potentiæ* tecti Iprensis discipuli delitescunt: verbis nobiscum concordes, sensu verò longe remoti. Si mandatorum Dei possibilitas justis asserenda sit, ultro affirmabunt; at possibilia intelligunt absolutè dumtaxat et præcisis circumstantiis ardentioris cupiditatis. Neque inficiabuntur, Deum velle omnes homines salvos fieri, atque etiam pro omnibus Christum mortuum esse; sed dolosè ac fraudolenter omnino: quod nempe Deus paratus sit gratias dare innocentis naturæ, si hominis lapsi voluntatem earum usui dispositam inveniret. At quomodo disposita hæc voluntas esse posset, si ea tantùm gratia ipsi concedatur, quæ propter virium defectum nonnisi abstractam conferre potest ad opus bonum potentiam, nonnisi absolutam, minimè verò potentiam relativam ac præsenti naturæ conditioni proportionatam? Si demum quinque Jansenii propositiones ab ipsis damnandæ proponantur, damnare profecto illas non recusabunt, at non in Jansenii sensu: contestabuntur se illas damna-

re in eo omni sensu quo sunt ab Ecclesia damnatæ; at non omnem damnabunt earum sensum, illum nempe qui Jansenii est, et ab Ecclesia proscriptus. « *Videte* (ut Augustini utamur verbis ubi sup. c. 20.) *latebras ambiguitatis: falsitati præparare refugia, offundendo caliginem veritati* ». Vel unius vocis ambigua significatione ii corrumpunt quæcumque in speciem sana et orthodoxa videbantur. Flexiloqua ea voce *potentiæ absolutæ et relativæ*, quæ Janseniani systematis quasi medulla est, veluti involucro tecti catholicis illudunt, et Ecclesiæ censuras se vitasse confidunt. Qui hæc illorum arcana ignorant, vix pede securo cum iis congredi possunt.

IV. Ut autem imperitis fucum faciant, S. Augustini Doctoris maximi ac divinæ Gratiæ vindicis se protegere clypeo audent, ejusdemque nomen et auctoritatem in præsidium errorum advocare omni studio nituntur, antiquum hæreticorum morem imitantes, qui falsis vera miscent, miscendoque perturbant omnia, quo securius venenum ab incautis hauriatur. Verum non quæstio hic est de S. Augustini auctoritate, sed unicè quæstio movetur de mente S. Doctoris ejusque doctrina. Lutherus et Calvinus totum suum gloriabantur esse Augustinum, et Joannes Hus Joannem Augustini vocitari volebat: ita quoque unam Augustini doctrinam se expressisse confidenter jactitat Iprensis Antistes; ex qua consimili agendi ratione luce clarius apparet, Augustini doctrinam toto cælo a Janseniana distare. Nam Augustini doctrinam circa Gratiam Ecclesia semper probavit et amplexa est; e contra eadem Ecclesia doctrinam Jansenianam quinque famosis propositionibus conclusam diris

devovit et execratione devinxit. Ut itaque eluceat, quænam S. Augustini doctrina habenda sit, non unus aut alter est audiendus auctor, non una schola aut altera est consulenda; sed illa ab ipsamet Ecclesia mutuanda est, quæ sola SS. Patrum scripta interpretandi pollet auctoritate, sicuti Traditionis est judex. Cum constet igitur, plerosque propria opinamenta Augustino affinxisse, ipsosque hæreticos non rarò sua damnata dogmata Augustini auctoritate malè usurpata munire consuevisse, in his propterea est cautè incedendum, atque nonnisi juxta catholicæ Ecclesiæ Doctrinam tanti Doctoris auctoritati inhærendum est. Sed jam Deo auspice ad ipsam rem accedamus.

CAPUT I.

DE GRATIÆ DIVINÆ DEFINITIONE AC DE PARTITIONIBUS EJUSDEM.

V. Ad Gratiæ nomen quod attinet, triplici sensu solet in divinis Literis istud vocabulum usurpari. 1. Pro amore et benevolentia, ut cum Angelus Mariæ dixit: *Invenisti gratiam apud Dominum.* 2. Pro dono et beneficio gratis alteri concesso, ut Psal. 63. *Gratiam et Gloriam dabit Dominus.* 3. Pro grato animo seu gratiarum actione ob accepta beneficia, ut 2. Reg. c. 2. cum David ajebat: *Et ego reddam gratiam eo quod fecistis verbum istud*. Significat etiam aliquando hæc vox elegantiam et venustatem vel oris vel sermonis, ut Psal. 44. *Diffusa est gratia in labiis tuis*. Et Prov.

ult. *Fallax gratia et vana est pulchritudo*. Sed hic sensus a præsenti instituto est longè alienus. Hic itaque secundo modo accipitur, *pro dono scilicet gratis concesso*, quo sensu tribus pariter modis adhiberi solet. 1. Latè, pro quolibet dono gratis tributo, absque ullo nempe ex parte conferentis debito, et citra ullum meritum ex parte accipientis, ut sunt Creatio, Conservatio, ac cætera ordinis naturalis beneficia gratuitò a Deo nobis concessa. 2. Accipitur stricto sensu pro beneficiis supernaturalibus creaturæ rationali concessis sive ex Christi meritis deriventur, sive non inde sumantur, ut supernaturalia dona fuere, quæ Deus Angelis et Adamo innocenti impertivit. 3. Gratiæ nomen strictiori etiam sensu usurpatur, pro beneficiis nempe supernaturalibus, quæ homini indigno et peccatori ex Christi meritis conferuntur. Atque hæc est, quæ Christi Gratia nuncupatur, et juxta hunc sensum toto fere hujus Tractationis decursu nobis de Gratia disserendum est. Notandum est itaque, ex communi ac recepto Scripturæ et Ecclesiæ usu, Gratiæ vocabulo non naturam intelligi, nec beneficia omnia naturalis ordinis; at verò donum supernaturale gratuitum naturæ superadditum. Mirum hinc videri non debet, Pelagium ambiguitate vocis Patribus Palæstinis illusisse: interrogatus enim, an admitteret Gratiæ necessitatem; respondit, se admittere. At subdolus ille per Gratiam, naturam intelligebat, liberumque arbitrium. Theologi itaque duo hæc, Gratiam et naturam, veluti inter se opposita considerant, ut quod sit naturæ, Gratia non sit; et quod Gratia, non sit naturæ. Propriè igitur Gratiæ nomine hic intelligendum est donum quodcumque sive supernaturale

beneficium rationali Creaturæ gratis concessum, quo ad supernaturalem finem assequendum adjuvetur.

VI. At Gratia Christi Salvatoris definiri solet « *Donum supernaturale rationali Creaturæ, sive homini lapso gratis a Deo concessum intuitu meritorum Christi in ordinem ad vitam æternam* » In hac definitione *Donum* tenet locum generis: *supernaturale*, seu supra naturæ debitum, differentiam statuit a donis naturalibus, quæ lato sensu gratiæ dicuntur: *Creaturæ rationali concessum*, designat subjectum gratiæ capax, Angelum nempe et hominem: at particulæ illæ, *Homini lapso, et intuitu meritorum Christi*, discriminant Christi gratiam a gratia illa, qua innocentes rationales creaturæ exornatæ a Deo fuerunt, quæque definiri potest: *Donum supernaturale intellectuali creaturæ gratis a Deo concessum in ordinem ad vitam æternam.* At in præsenti statu has gratias quas in ordinem ad vitam æternam nobis Deus largitur, semper intuitu dantur meritorum Christi; *non enim*, ut Actor. 4. legitur, *est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Dicitur verò *Donum gratis concessum*, ut omne debitum excludatur sive obligatio ex parte dantis; nec non omnis exigentia jus et meritum ex parte accipientis, sive jus personæ illud sit, sive naturæ. Atque Deus quidem nulla lege ad conferendam gratiam tenetur; sed ex parte recipientis duplex exigentia aut meritum seu naturæ seu personæ distingui potest, nempe aut ex merito bonorum operum, aut ex conditione naturæ: primum excluditur ab Apost. Rom. XI. cum ait: *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia*

jam non esset gratia. Excluditur secundum ex eo, quod si conditio naturæ postularet, ut ipsi hæc gratia daretur, jam non amplius esset supernaturale donum, sed naturale. Dein si conditio naturæ esset, Deus in hypothesi teneretur illam dare; aliàs sibi contradiceret: non dat autem, non ergo dare ex naturæ conditione tenetur. Hanc itaque gratuitam gratiæ conditionem evertunt, qui cum Bajo et Jansenio volunt, impossibilem esse puræ naturæ statum, in quo homo sine peccato et sine gratia conderetur. Tunc enim gratia ad naturalem hominis statum pertineret; nec integritas primæ Creationis fuisset indebita hominis exaltatio, sed naturalis ejus conditio; quod est in Bajo damnatum prop. XXVII. Denique hæc gratia dari dicitur *in ordine ad vitam æternam*, ut hujus gratiæ causa finalis determinetur. Hinc ea Jo. IV. appellatur, *fons aquæ salientis in vitam æternam*.

VII. Quærunt hîc Theologi, in quonam consistat *supernaturalitas* gratiæ divinæ; ac statuunt, positam esse tum in excellentia supra quaslibet vires causæ creatæ, tum in speciali ad Deum relatione; ac demum in eximia quadam cum ipso Deo unione, seu *reali* qualis est hypostatica unio, seu *intentionali proxima et immediata*, qualis beatifica visio: seu etiam in *intentionali mediata*, qualis est gratia sanctificans, virtutes theologicæ, ac dona cætera quæ ad visionem beatificam ordinantur. Quare ajebat S. Petrus 2. Epist. c. 1. *Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ* Et 1. Corinth. 6. *Qui adhæret Deo, unus spiritus est.* Quærunt 2. Quid intersit discriminis inter naturale, violentum, præternaturale, contranaturale, miraculosum,

gratuitum, et supernaturale: Et *naturale* quidem illud est, quod intra naturæ vires et exigentiam continetur: *Violentum* dicitur, quod est a principio extrinseco contra inclinationem agentis: *Præternaturale* propriè est illud, quod fit præter ordinarium solitumque naturæ cursum: Id verò si fuerit aliquid perfectionem conferens, ut quod accidens existat sine subjecto, simpliciter dicitur *præternaturale*; sin autem per illud perfectioni rei detrahatur, ut quod ignis non comburat, *contranaturale* dicitur: Horum autem utrumque propriè vocatur *miraculosum*. Jam *gratuitum* propriè est illud, quod excludit tum debitum personæ ex merito proveniens, tum debitum sive exigentiam naturæ. Tandem *supernaturale* illud est, quod ex natura sua ad Deum refertur ut objectum et Gloriæ auctorem, quodque idcirco omnem omnino virtutem et exigentiam causarum naturalium excedit.

VIII. Sed plurimum confert ad rectam argumenti hujus intelligentiam, accuratè Gratiæ divinæ partitiones inspicere. Gratia igitur, quam supra generatim definivimus: *Donum supernaturale rationali creaturæ gratis a Deo concessum in ordinem ad vitam æternam*, dividi solet I. in *Increatam* et *Creatam*, sive in Gratiam ex parte Dei seu principii, et ex parte creaturæ seu subjecti: Prior est æternus Dei amor, quo homines diligit in ordine ad vitam æternam; sive est ipsa Dei misericordia, beneplacitum, bonitas nobis gratuitò suppeditans cognitionem veri et amorem boni ac cætera auxilia quibus finem æternæ vitæ assequamur, de qua Psalmista canebat: *Misericordia tua, Domine, adjuvabat me*. Gratia verò creata est effe-

ctus gratiæ increatæ, seu divinæ pietatis in homine, qui ab æterno Dei amore ut effectus a causa procedunt. II. Dividitur *in gratiam Dei conditoris, et in gratiam Christi Redemptoris*. Prior collata est absque intuitu meritorum Christi Angelis, et Adamo innocenti: altera respectu confertur meritorum Christi, et est quæ datur hominibus in præsenti naturæ lapsæ statu degentibus. Prior vocatur etiam *gratia sanitatis*, et *gratia medicinalis* posterior. III. Hæc eadem Christi Gratia *in externam, et internam* partitur. Prior extra hominem posita est, ut lex, doctrina seu prædicatio Evangelii, miracula, exempla Christi et hujusmodi cætera: posterior est ea, quæ hominem interius afficit mentem illustrando et voluntatem ad bonum excitando. Utraque suo modo ad salutem conducit; sed præter exteriores gratias interiorem esse quoque agnoscendam adversus Pelagianos Ecclesia docuit. IV. Interior præterea hæc Gratia *in gratis datam* distribuitur, et *in gratum facientem*. Ea porro est gratis data, quæ per se et primario non in propriam recipientis, sed in aliorum utilitatem conceditur, ut dona linguarum, prophetia, gratia sanitatis restituendæ, et patrandi miracula, de qua Apost. 1. Cor. 12. Hæc itaque gratia non semper cum gratia gratum faciente consociatur; hinc ajebat Christus Matth. VII. *Multi dicent mihi in illa die: nonne in nomine tuo prophetavimus . . . et virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos*. Dicuntur verò gratis datæ, non quia aliæ quoque gratis datæ non sint; sed quia cum Christus easdem Apostolis conferebat, ut illas gratis impenderent eos admonuit Matth. X.

Infirmos curate, mortuos suscitate... gratis accepistis, gratis date. At *Gratia gratum faciens* primariò propter recipientis utilitatem datur, eaque hominem Deo acceptum et amicum reddit, eidemque gratum facit. Nam licet hæc non statim hominem in Dei amicitiam constituat, eò tamen tendit, ut hominem Deo reconciliet, ad perfectamque Dei amicitiam ducat. Tale est quodcumque Fidei, spei, bonæque voluntatis initium. V. Gratia gratum faciens rursus in *habitualem* et *actualem* dividitur. *Habitualis* seu permanens ea vocatur, quæ per modum habitus seu qualitatis permanentis et inhærentis tribuitur, et per quam homo fit justus et Dei amicus; eaque triplex est, nempe *Gratia sanctificans*, *Virtutes infusæ* ac *Dona Spiritus sancti*. Talem dari inhærentem gratiam exemplo patet parvulorum qui baptizantur; hi quippe non aliam qua justificentur, gratiam recipere queunt præter eam, quæ per modum habitus confertur. Hæc autem non amittitur nisi lethali peccato, seu voluntate prava, qua avertimur a Creatore, et ad creaturas convertimur. *Actualis* verò Gratia ea est, quæ per modum actus, seu divinæ motionis transeuntis conceditur. Gratiam hanc Deus homini elargitur, dum juxta divinam legem agere aliquid debet. Eam vocat Augustinus « *Inspirationem dilectionis, ut cognita sancto amore faciamus* » Hanc sitam esse in intellectus illustratione ac in dilectione boni ambigi non posset. Ejus gratiæ munus est, juxta S. Doctorem, *ut innotescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat*. Atque hanc necessariam esse ad omnia opera quæ ad salutem conducunt, ostendit contra Pelagianos in Libris *de Gratia Christi*. VI.

Itaque Actualis gratia in gratiam dividitur *Intellectus*, et *in gratiam voluntatis;* ut illa sit interna mentis illustratio, qua ei verum aut bonum supernaturale peragendum proponitur : hæc autem sit motio seu inclinatio, quam Deus in voluntate operatur, ut eam ad bonum provocet supernaturale : illa intellectum illustrat, hæc excitat voluntatem ; atque utramque in præsenti statu conferri tenendum est. VII Actualis porro gratia distribuitur frequenter *in operantem et cooperantem, in prævenientem et subsequentem, in excitantem et adjuvantem.* Celebres sunt istæ in Scholis divisiones, quarum tamen non una apud omnes earundem notio. Novisse sufficiat, *operantem et cooperantem* appellari gratiam, quæ voluntatis nostræ actionem comitatur: *prævenientem et excitantem*, quæ prævenit liberum nostrum consensum, de qua Psalmista : *Misericordia ejus præveniet me : subsequentem verò et adjuvantem*, quæ in bono proposito voluntatem confirmat. Gratia itaque tam operans, quam præveniens et excitans definiri potest « Subitanea mentis illustratio, et indeliberata mentis áffectio, quas in nobis Deus sine nobis operatur, ut benè agamus » At Gratia cooperans, subsequens, adjuvansque solet definiri « Influxus sive concursus supernaturalis, quo Deus nobiscum concurrit ad omnes et singulos pietatis actus supernaturales et liberos ». VIII. Gratia secernitur ulterius *in gratiam simpliciter, et in gratiam pro gratia*. Et prior ea dicitur quæ tribuitur a Deo ex Christi meritis absque ullo præcedente merito etiam ex gratia acquisito : posterior verò quæ datur propter præcedens meritum quod ex ipsa gratia oritur, ut est vita æterna, quæ simul et merces et gratia est.

IX. Ultimo tandem celeberrima est Gratiæ divisio *in sufficientem* et *efficacem*: cujus non una notio traditur. Nam licet efficax sit gratia, cum sequitur effectus: inefficax vel sufficiens, cum effectus inde non oritur; utriusque tamen gratiæ notio varia est pro diverso ipsius apud Theologos usu. Qui ad nativam et obviam respiciunt sufficientis gratiæ significationem, eam esse intelligunt, quæ absque ullo novo auxilio sola sufficit, ut opus bonum homo cum ea operetur. Quare voluntas pro innata sua libertate ea gratia utitur, vel non utitur, ut hæc sufficiens ab efficaci gratia non distinguatur nisi solo eventu seu actione, non autem propria et intima sua natura; adeo ut una eademque gratia in uno efficax sit, in alio merè sufficiens, prout cum illa operatur bonum vel non operatur. Hinc illud discrimen ex sola oritur hominis libertate. At apud alios gratia sufficiens sola sufficit ad actus dumtaxat faciles, aut cum nulla tentatio urget; non autem ad actus difficiliores seu ex objecto, seu ex circumstantiis, tentatione, habitu, exemplo etc. Et in horum sententia, qui gratia sufficiente in facilioribus bene utuntur, efficacem a Deo impetrant in arduis et difficilioribus: ac juxta ipsos ea gratia differt ab efficaci, quod hæc certò et infallibiliter semper suum sortitur effectum, sed non ita sufficiens. Alii sunt, qui gratiam sufficientem nomine tenus tantùm agnoscunt, qui reipsa nonnisi efficacem in præsenti statu dari arbitrantur; atque sufficientem appellant eam parvam ac debilem, quæ ad infirmos quosdam pietatis motus excitandos destinetur a Deo, quos cum semper excitet, eo respectu efficax semper habetur; at respectu operis

boni atque perfecti sit verè insufficiens propter defectum virium, ut vult Jansenius, juxta quem id contingit quia parva illa gratia viribus seu gradibus inferior est præ opposita concupiscentia. Alii demum gratiam sufficientem definiunt eam, quæ veram propriam et expeditam *relate* ad oppositam concupiscentiam superandam et ad bonum peragendum potentiam confert, tametsi illud nusquam efficiat, nisi novo ex parte Dei accedente efficaci auxilio. Quare juxta ipsos gratia sufficiens dat posse agere, efficax verò ipsum dat operari. Addunt autem vocem *relativè* ad fraudem præcavendam Jansenianorum, qui et ipsi eam potentiam veram propriam perfectamque appellant, at non sine dolo; nam ita eam intelligunt *absolutè* ac præcisis omnibus circumstantiis, non *relativè* ad oppositas vires præsentis superioris concupiscentiæ. Verum de re hac inferius. Modo *gratia efficax*, prout *sufficienti* opponitur, ea est, quæ suum certò effectum semper consequitur. Quod si effectus semper ac certo sequatur *ex interna ipsius gratiæ vi*, dicitur *ex se et ab intrinseco efficax*: Si id eveniat *ex congruitate circumstantiarum*, *congrua* dicitur: Si tandem *ex prævisione Dei*, *ab eventu efficax* nuncupatur.

CAPUT II.

ERRORES HÆRETICORUM CIRCA DIVINAM GRATIAM RECENSENTUR.

X. Inter catholicæ Ecclesiæ dogmata, quæ hæretici homines exagitarunt, non illa intacta reliquere, quæ de

supernis Auxiliis Christus Dominus ejusque Discipuli docuerunt: ille clamabat apud Joannem: *Sine me nihil potestis facere:* hi verò docebant: *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate.*. Contra hæc divina oracula turpiter errarunt antiquitus Judæi nonnulli, tum gentiles philosophi, ex quibus orti sunt Pelagiani. Et Judæos quidem illos ad legem implendam sufficere naturæ vires sine divino auxilio gloriatos esse ex Epistolis patet Apostoli Pauli ad Romanos et ad Galatas, in quibus hunc errorem coarguit, demonstratque contra superbam hanc præsumptionem Divinæ Gratiæ necessitatem. Philosophorum verò gentilium ut plurimum hæc fuit opinio, hominem cum Deo ita divisum habere imperium, ut cælorum cursus, tempestatumque vicissitudines, frugum brutorumque genera, universam denique corpoream machinam Deus summo jure moderaretur; at homo, minimè Deo adjuvante, ipse rationem teneret vitæ suæ, ac pro suo arbitratu actionum suarum cursum dirigeret. Hinc ad optima quæque perficienda, hominem sibi sufficere arbitrabantur, neċ de acquisita virtute gratias esse Deo agendas, cui laudes tantum referebant quod divites, quod incolumes viverent, non verò quod justi ac sapientes essent. Unde arroganter Horatius lib. 1. Epist. 18. in fine:

Hæc satis est orare Jovem, quæ donat et aufert:
Det vitam, det opes: æquum mi animum ipse parabo.

Ex turbidis hisce fontibus, ut ex quorundam semichristianorum doctrinis sua falsa dogmata Pelagius circa Gratiam deduxerat, qui nomen præstitit sectæ celeberrimæ, et qua ob inimicitiam, quam contra Christi Gratiam profitebatur, nulla magis detestanda occurrit.

XI. Circa hunc pelagianæ sectæ auctorem quæri solent, patria, professio, ingenium, artes, mores, scripta, et dogmata. Ex majori Britannia ortnm duxisse Pelagium testantur Orosius, Augustinus, Prosper, ex quibus etiam habemus circa annum Dom. ccccv. errores suos disseminare cœpisse. Ajunt quoque professione monachum fuisse, at de quonam genere monachatus non constat; volunt enim plures liberum fuisse in ea professione, nullique instituto addictum. Ingenium a natura accepit acre et celerrimum; illudque litigiosum, versipelle, sinuosum dolis ac fraudibus deditum manifestant varii illi flexus, quibus errores suos dissimulare omni arte nitebatur. Ejus fallacias eleganter describit Garnerius in Dissert. I. in Marium Mercatorem. Circa Pelagii mores, eos adeo compositos et probatos habuit saltem specie tenus, ut pietatis laudem assecutus aliquando fuerit. Verum ab ea pietatis fama excidisse nonnunquam videtur; nam Orosius testis coævus eum uti balneis et epulis deditum carpit. Pelagii scripta præcipua recensentur. 1. *De Natura* lib. 1. 2. *De libero arbitrio* lib. 4. 3. *Expositionum in Pauli Epistolas* libri 13. 4. *Libellus Fidei* ad Innocentium Sum. Pont. nec non variæ ad diversos Epistolæ. Horum plura edita habentur in Appendice ad Opera S. Augustini Editionis Antuerpiensis a Philopono, seu Jo. Clerico elaboratæ. In his operibus hos errores Pelagius docebat. 1. Gratiam Dei secundum merita nostra dari. 2. Nullam interiorem gratiam dari, sed tantum exteriorem. 3. Per solas naturæ vires posse hominem quascumque tentationes superare, peccata declinare, verasque comparare virtutes, totamque legem implere: imo posse nos sola arbi-

trii potestate credere, amare, operari sicut oportet, licet minus facilè; gratiam verò tantum efficere, ut facilius operemur. Hæc errorum monstra in pluribus Conciliis proscripta sunt, ut in Carthaginensi an. 412. in Diospolitano seu Lyddæ in Palæstina a. 415. in Milevitano a. 417 ac demum in Ephesino OEcumenico a. 431, Antea verò damnata fuerant ab Innocentio I. a Bonifacio, Cælestino, S. Leone M. aliisque. Inter Pelagii discipulos eminent Cælestius et Julianus. Ille ejusdem cum Pelagio Patriæ tantum huic hæresi promovendæ operam contulit, ut pelagiani passim cælestiani nuncupati fuerint, eoque nomine in Synodo Ephesina damnati. Julianus autem in Apulia natus Episcopus erat Eclanensis, seu Avellini in Campania, qui cum hujus hæresis patrocinium suscepisset a S. Augustino strenuè est refutatus; at a Sede ejectus est cum aliis Episcopis, qui decreto Zozimi P. subscribere noluerunt.

XII. Sed cum per totam Ecclesiam pelagianismus damnabatur, ecce nova repente extitit Semipelagianorum secta. Hi quanquam faterentur, nos nec posse credere, nec amare nec operari bonum vitæ æternæ sine gratia Dei, neque interiorem gratiam negarent, eamque gratuitam dicerent; primas tamen cogitationes bonas, atque idcirco Fidei initium, bonæque voluntatis sine Dei gratia nasci in nobis posse putabant, Deumque ad initium hoc respicientem suam uberiorem gratiam conferre. Contendebant itaque homini satis virium inesse etiam post Adæ lapsum, ut Deum posset orare sicut oportet. Quare juxta ipsos Fidei initium non erat donum Dei, sed ex nobis; atque propter illud a Deo cætera conferri, quæ necessaria sunt ad salutem. Semipelagianismus

ergo media est secta inter Calvinismum et Pelagianismum, cujus primus auctor fuisse fertur Joannes Cassianus, qui circa Sæculi v. medietatem obiit. Ei adhæsisse dicuntur alii illius ævi non pauci, ut Vincentius Lirinensis, Gennadius Massiliensis, aliique. Cumque secta hæc Massiliæ potissimum radices posuisset, Massiliensium propterea dicta est. Ac primi quidem tutò vixere; sed eorum sectatores ut hæretici damnati sunt a Cælestino I. ab Hormisda et a Felice IV. Pontificibus. Contra Cassianum scripsit S. Prosper, quem Collatorem appellat, eo quod Cassianus *Collationes Patrum Eremitarum* vulgaverit. S. autem Fulgentius Ruspensis Episcopus stilum acuit adversus Faustum Rhegiensem alterum semipelagianismi fautorem.

XIII. Inter recentiores qui circa Gratiam Christi errarunt, præcipui recensentur Wiclefus, Lutherus, et Calvinus necessitantis Gratiæ seu prædestinatianismi auctores, et Sociniani atque Arminiani qui pelagianismum ex adverso exsuscitarunt. Wiclefus natione Anglus, doctor Oxoniensis plurima effutiit plena impietatis dogmata circa finem sæc. xiv. Præter fatalem quam adstruebat necessitatem, docuit, Deum prædestinare singulas rationales creaturas ad actum quemlibet, ipsisque sua prædestinatione absolutam inferre necessitatem sive ad bonum sive ad malum: interim eas esse liberas dicebat, eo quod spontanee agant, et quia possent non agere si vellent, etiamsi aliter velle non possint. Hæc quæ in suo *Trialogo* docebat, damnata fuere in Concilio Constantiensi, et in Bulla Martini V. Pontificis.

XIV. Lutherus autem natione Saxon circa annum 1527. inter errores alios, hos de gratia tradidit. 1. A

gratia voluntati necessitatem inferri, non quidem violentiæ et coactionis, sed eam quæ simplex necessitas vocatur, sive naturæ. 2. Sub gratiæ impulsu voluntatem uti rem inanimem merè passivè se habere respectu boni, seu quatenus bonum est; atque agere dumtaxat relatè ad bonum materialiter sumptum, sive ut est actus non formalis, sed physicus. 3. Affirmavit, voluntatem per peccatum libertatem amisisse, non quæ dicitur a coactione, sed a necessitate naturæ, sive indifferentiam amisisse ad partem alterutram se inflectendi, ita ut liberum arbitrium sit vacuus titulus sine re, ut habet in lib. *De servo arbitrio*. Dicitur tamen postea libertatem agnovisse quantum ad societatis civilis officia. Hos errores damnavit Synodus Tridentina, præcipue Sess. VI. Can. 4. ubi habetur: *Si* quis dixerit, Liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti . . . neque posse dissentire si velit; sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque *passivè se habere*, *anathema sit*. Ejus discipuli in varias sectas scissi sunt, revocanturque potissimum ad rigidiores, molliores seu protestantes, et ad sacramentarios.

XV. Joannes Calvinus sectam sacramentariorum famigeratam fecit. Is Novioduni ortus an. 1509. post varias peragratas regiones Genevæ consedit, ubi concionatoris ac theologi officio functus, et multis evulgatis voluminibus pestiferis erroribus infectis, anno 1564. miserè interiit. Is præter Lutheri errores docuit præterea 1. Fideles debere certos esse certitudine fidei divinæ non solum de præsenti gratia, sed de perseverantia quoque et electione ad Gloriam. 2. Fidem et justifica-

tionem propriam esse electorum, quæ semel accepta amitti nequeat; quare qui cadere videntur, nunquam eam acceperint. 3. Baptisma non esse necessarium, ut fidelium pueri absque baptismo salventur. Inde sequitur, omnes fidelium filios esse prædestinatos, cum justitia semel habita non possit amitti juxta Calvinum. Hos errores anathemate confixit Tridentina Synodus Cap. *De Justificatione*. Plures autem sectæ ex calvinismo prodiere inter quos Remonstrantes ab Arminio Batavo, cui adhæsere Episcopius, Grotius, Clericus, qui calvinismum non emollierunt solum, sed et in oppositum pelagianismum descenderunt.

XVI. Nec circa divinam Gratiam dissidia extincta sunt post Synodum Tridentinam. Harum turbarum auctor Mich. Bajus fuit Lovaniensis doctor, qui eidem Concilio adfuerat. Hic dogmata quædam de gratia protulit, quæ putabat ex Augustini doctrinis eruisse. Ea S. Pius V. proscripsit an. 1567. Baii errores 76. articulis comprehensi versabantur circa naturam gratiæ concessæ innocenti creaturæ et lapsæ, ajebatque 1. Gratiam creaturis innocentibus datam gratuitam non fuisse, sed debitam. 2. Quantum ad naturæ lapsæ statum, omnem ferme destruebat libertatem, asserens, sine gratia liberum arbitrium nonnisi ad peccandum valere, ut homo ad bonum et malum necessariò inclinetur. 3 Plura docebat erronea circa meritum, justificationem et efficaciam Sacramentorum; ut quod justificentur homines sine remissione peccatorum, et quod Sacramenta non reatum culpæ, sed pœnæ tantum remittant &c. Hos tamen Bajus retractavit errores.

XVII. Defuncto Bajo, Jacobus Jansonius ejus alum-

nus eadem dogmata fovit, ex quo suam arripuit doctrinam Cornelius Jansenius Iprensis Episcopus, qui solum S. Augustini opera pluries ac sedulo revolvisse jactabat. Librum itaque scripsit, cui titulus ***Augustinus,*** qui posthumus prodiit Lovanii a. 1640 cum ipse a. 1638. obiisset. At cum hic liber doctrinam contineret calvinismo infectam, Innocentius X. a. 1655. has propositiones inde excerptas damnavit; quarum I. « Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant» Quæ declarata est temeraria, impia, blasphema, hæretica. II. « Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur » Et hæc hæretica declarata est. III. « Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione » Quæ hæretica pariter judicata est. IV. « Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere vel obtemperare. » Atque hæc et falsa proscripta est, et hæretica. V. « Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse » Et hæc notata est falsa, temeraria, scandalosa: et intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, et hæretica. Revera quatuor priores propp. fatalem qua agamur continent necessitatem, et quarta etiam errorem facti cum semipelagiani nunquam agnoverint illam interioris gra-

tiæ necessitatem. Quinta verò merum complectitur calvinismum. Interim cum nonnulli Jansenium excusare cœpissent, quasi eas propositiones in damnato sensu non usurpaverit, Alexander VII. Decreto suo declaravit, eas damnari in sensu ab Jansenio intento. Dein jactare cœperunt, se eo in libro tales propositiones non invenire, ut Ant. Arnaldus, licet falsas eas haberent; ac vociferabantur Pontifici fuisse impositum, postulabantque ut, si adessent in libro, indicarentur. Itaque Alex. VII. a. 1664, declaravit propositiones illas in libro Jansenii esse. Sed tumultuabantur iterum, et a Papa ad generale Concilium appellabant, distinctione inducta Juris et Facti, (V. *De Principiis Theol.* T. 2. Sect. IV. Cap. VII.) qua se ab obedientia Ecclesiæ præstanda subducebant, et ad obsequiosum silentium se limitabant. Hinc celebris Casus conscientiæ prodiit; et licet ab ea etiam arce dejecti, ac illius silentii insufficientia declarata ad evitandam jansenismi labem, a proposito tamen non movebantur, sed innumeris Arnaldi et Quesnelli scriptis bellum rursus instaurarunt, adeo ut eorundem sectatores non pauci neque his nostris temporibus inducias fecerint.

CAPUT III.

DE GRATIA DIVINA IN VARIIS NATURÆ HUMANÆ STATIBUS INQUIRITUR.

XVIII. Quanquam de variis naturæ humanæ statibus, deque Gratia protoparentibus collata quæ scitu erant necessaria dicta sint in Tractatu *De Rebus Di-*

vinis N. CCLXXIV. et CCLXXXIX. ea tamen summatim hic sunt attingenda. Status autem nomine quandam intelligimus naturæ humanæ conditionem in ordine ad ultimum finem; qui generatim duplex est, unus *termini*, seu Patriæ: alter *viæ* seu tendentiæ ad terminum. Horum duo extitere; suntque 1. *status naturæ innocentis*, in quo primus homo constitutus est, sine rebelli concupiscentia, sine ignorantia expers mortis et miseriarum, cum gratia et ordinatione ad vitam æternam. 2. *Status naturæ lapsæ per Christi merita reparatæ*, qui est præsens hominum status, in quo remisso etiam reatu originalis culpæ, omnes fermè illius pœnæ ad virtutis exercitium remanent, ut infirmitas, concupiscentia, et ipsa corporis mortalitas cum ærumnarum comitatu. Tres alii status possibiles considerantur, et 1. est *Naturæ integræ*; in quo esset homo sine peccato et sine gratia in ordine ad supernaturalem finem; at non sine auxilio naturæ indebito, quo impedire posset, ne appetitus sensitivus contra rationem insurgeret. 2. Status est *Naturæ puræ*, sine peccato et sine ulla gratia indebita, sed cum solo concursu divino, et providentia sibi connaturalibus. 3. Status est *Naturæ lapsæ non reparatæ*, in quo remansisset, nisi per Christum homo redemptus esset. Distinguitur itaque *status naturalis*, in quo esset homo ad finem naturalem ordinatus, ut essent status naturæ integræ, et naturæ puræ: et *status supernaturalis* in quo homo ad supernaturalem finem sit ordinatus, ut est præsens.

XIX. Quantum itaque ad statum naturæ innocentis, est de fide tenendum contra pelagianos et socinianos,

Protoparentem Adam in originali justitia conditum fuisse. Ad hanc enim justitiam requiritur cognitio sufficiens in intellectu, gratia sanctificans in voluntate, appetituum subjectio, et corporis immortalitas. At 1. fuit Adam ea cognitione instructus quæ ipsius decebat conditionem, ut Ecclesiastici XVII. habetur: *Disciplina spiritus replevit illos etc.* 2. Gratiam accepit sanctificantem, ut Ecclesiastis VII. 30. *Fecit Deus hominem rectum*; quod et Tridentina Syn. definivit Sess. V. can. I. 3. Appetitus inferior subditus erat illius rationi, ut August. scribit l. 2. de Pecc. meritis c. 22. *Placebant Deo et placebat illis Deus; et quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens in illo adversum se moveri sentiebant*. 4. Demum immortalis conditus est, ut habet Apost. ad Rom. V. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors*. Hinc Augustinus De Gen. ad lit. c. 25. *Mortalis erat conditione corporis animalis, immortalis beneficio Creatoris*. (V. loco c. Num. CCLXXII. CCLXXV.) Sed an de fide sit, num in primo instanti hæc dona a Deo acceperit? Respondendum, est quidem de fide, ea dona primis parentibus ante lapsum collata fuisse; non verò ea accepisse in ipso creationis momento. Hinc nonnulli existimant, in rectitudine merè naturali fuisse conditos, dein donatos illis muneribus. At probabilius est, in ipso creationis instanti illis donis cumulatos fuisse, *simul in eis condens naturam, et largiens gratiam*, ut de Angelis ait August. De Civ. D. l. XII. c. 9.

XX. Sed hîc adversus Bajum et Jansenium demonstrandum est, hanc originalem justitiam et cætera Gra-

tiæ dona protoparentibus in ortu suo concessa verè supernaturalia fuisse, ipsisque prorsus indebita. Revera in Scripturis ea dona uti beneficia designantur quæ hominum conditionem longè exsuperant, et quibus exaltatur, et ad consortium evehitur divinitatis: *Per quem*, ait S. Pet. Epist. 2. c. 1. *maxima et pretiosa nobis promissa donavit; ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*. Et 1. Jo. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus.* Hinc damnata est hæc Baii prop. n. 26. « Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio » Quæ damnata est quoque in Bulla Pii VI. *Auctorem Fidei* prop. XVI. ut falsa et erronea. Ipse Jansenius non negabat, gratiam esse, sed quæ excluderet debitum personæ, proveniens scilicet ex merito actionum, at malè inficiabatur, non excludere etiam naturæ debitum. Nam alioquin non esset gratia naturæ superaddita, sed ad ipsam naturam revocaretur, quod negant Patres. Imo nec gratia ullo modo dici posset; nam Deus condens rationalem creaturam debuisset eam ad finem supernaturalem et ad visionem Dei intuitivam ordinare: et si ex debito, jam non esset gratia; quod est absurdum. Idem de immortalitate dicendum, nec non de immunitate a concupiscentia, et a cæteris incommoditatibus corporis, quæ supernaturalia fuisse dona Patres et maxime Augustinus censebant. Quare contraria assertio et in Bajo, et in Bulla *Auctorem Fidei*, damnata est prop. XVII. in illo autem prop 76. « Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis ejus conditio » Revera humanum corpus ex sui

natura postulat ut ex principiis constet inter se et cum elementis externis colluctantibus, quæ propterea speciali providentia seclusa dissolutionem ac mortem inducerent; non poterat ergo immortalitas esse naturalis conditio. De immunitate verò a concupiscentia habet S. Thomas 1. p. q. 95. a 1. « Manifestum est, quod illa subjectio corporis ad animam, et inferiorum virium ad rationem, non erat naturalis; alioquin post peccatum mansisset, cum etiam in dæmonibus dona naturalia permanserint » Ex gratia itaque id consequebatur: *Gratia quippe magna ubi erat*, ait August. *ibi terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat* (l. 4. c. Jul. c. ult.). Quod tandem Adam liber fuerit per gratiam a cæteris corporis ærumnis, patet ex quo condi poterat ex dictis morti obnoxius; potiori ergo jure aliis miseriis comitantibus mortalitatem. Neque objiciant hæretici; quod si tot gratiæ donis Adam innocens fuisset instructus, a sanctitate deficere non potuisset: Quod minimè sequitur; quamvis enim tot fuerit exornatus muneribus, libertate nihilominus potiebatur, ac proinde ab justitia potuerat excidere.

XXI. Circa verò controversiam de Gratia, qua Adam innocens indiguerit, ex qua discrimen deducitur auxiliorum utriusque status, non una sententia est. 1. Enim Jansenius post Lutherum et Calvinum statuit, concessam fuisse gratiam Adæ et Angelis libero voluntatis arbitrio permissam, seu, ut vocant, auxilium *sine quo*: nunc autem homini lapso vult ita necessarium auxilium *quo*, seu efficax (cui nempe resistere voluntas nequeat), ut sine ipso nullum bonum velle possit et operari. Quare juxta ipsum, sicut adjutorium istud non pertinebat

ad statum naturæ innocentis, ita nec pertineat ad naturæ lapsæ statum. Id Jansenius basim appellat Augustini systematis, et clavim, qua aditus, ait, ad scripta ejus aperitur. Hinc textum Augustini ex cap. XII. *De Corrept. et Gratia* desumptum, ubi illa distinctio reperitur, centum septuaginta vicibus in medium revocat, licet Augustinus obiter ac semel tantum illam tradiderit. 2. Thomistæ cum necessitatem Gratiæ physicè præmoventis ex dominio repetant Causæ primæ in secundas, eam proinde in statu etiam naturæ innocentis necessariam fuisse arbitrantur. De discrimine autem non conveniunt de gratia utriusque status, aliis in sola mentis illustratione pro innocentiæ statu illam ponentibus, aliis in majori vi. 3. Sunt qui volunt, Adæ collatam fuisse gratiam tum intellectus tum voluntatis, nempe sufficientem, qua homo lapsus licet possit agere, nunquam tamen de facto acturus sit nisi uberiori adjutus, quo uberiori auxilio in statu innocentiæ opus non erat. 4. Contendunt alii, creaturam innocentem Gratia habituali ornatam non indiguisse nisi mentis illustratione; nunc verò gratia requiratur voluntatem movens, sive efficax ea sit, sive non. 5. Alii statuunt, Adam ad bene agendum indiguisse tantum gratia habituali, atque in statu naturæ lapsæ prævenientem actualem gratiam necessariam esse. De Jansenii opinione inferius agetur; modo itaque

XXII. Statuendum I. est, Adæ necessariam fuisse gratiam aliquam actualem a gratia habituali et a supernaturali concursu distinctam. Id enim ex Augustini verbis *De Nat. et Gr.* c. 20. eruitur: *Sicut oculus*, inquit, *plenissimè sanus*, *nisi candore lucis adjutus*

non potest cernere : sic homo etiam perfectissimè justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, non potest rectè vivere ». Quæ generalia verba hominem quoque innocentem comprehendunt. Imo l. *de Corrept. et Gr.* c. 11. et 12. docet, auxilium *sine quo* ita Adæ et Angelis necessarium fuisse, *ut si caruissent, non utique sua culpa cecidissent*. Quæ de actuali gratia dicta sunt. Statuendum. II. Adam innocentem ad primos actus bonos non indiguisse gratia ex se efficaci, aut physicè præmovente: Nam Augustinus latissimum inter adjutorium utriusque status discrimen posuit, ut cum l. c. ait : « Hæc prima est gratia, quæ data est in primo Adam, sed hæc posterior est in secundo Adam. » Et rursus ibid. Tale erat adjutorium (naturæ innocentis) quod desereret cum vellet, et in quo perseveraret si vellet, non quo fieret ut vellet. « Et quidem si tunc Adæ necessaria fuisset illa efficax gratia, non jam sua culpa cecidisset; cum hic nec ad originale peccatum, nec ad peccatum præcedens aliud recurri queat.

XXIII. Sed quærendum modo est, quid sit intelligendum per *Auxilium quo, et sine quo*; et quodnam sit utriusque discrimen ? Respondemus, notum esse, eam distinctionem S. Augustinum induxisse, deque ea egisse l. *De Corrept. et Gratia* c. xii. his verbis : « Ipsa adjutoria distinguenda sunt. Aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, et aliud est adjutorium quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum adfuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At verò beatitudo quam non ha-

bet homo, cum data fuerit continuò fit beatus. Adjutorium est enim non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur... Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere; datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantùm tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur: Non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verumetiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint «Hinc deducebat cum Calvino Jansenius, Adam accepisse *Adjutorium sine quo*, id est gratiam voluntatis sufficientem ac versatilem: at in præsenti statu dari dumtaxat *Auxilium quo*, id est, ut ajunt, auxilium invincibiliter et necessariò efficax; quod status utriusque discrimen faciat. Verum non consentiunt Theologi quid nomine adjutorii sine quo intellexerit Augustinus; nam alii volunt gratiam habitualem: alii intellectus gratiam: alii versatilem voluntatis: habitualem alii simulquè intellectus illustrationem; quod verisimilius est. Non conveniunt quoque orthodoxi inter se circa notionem adjutorii quo. Existimant alii esse exponendum de gratia efficaci; quæ non invictè quidem ut Jansenio placet, sed certò dumtaxat et infallibiliter operetur: Alii cum Bellarmino intelligunt adjutorium formale perseverantiæ, sive perseverantiam ipsam. Quod ergo funditus diruit positum a Jansenio discrimen, est, neminem inter orthodoxos haberi, qui hoc auxilium de cælesti exponat delectatione relativè ac

necessariò determinante; et neminem pariter esse, qui efficacem gratiam ita ponat pertinere ad statum naturæ lapsæ, ut ad hunc non pertineat quoque Auxilium sine quo, sive gratia sufficiens, quam ab hoc statu Jansenius vult exulare omnino; licet Augustinus in postremis allatis verbis eam apertè supponat.

XXIV. Esset modo inquirendum de statu Naturæ puræ, et an sit possibilis? Cum autem huic quæstioni satisfactum sit Tract. *De Rebus Divinis* N. ccxc. et seqq. ubi de Primo Homine agebatur; nonnulla tantum hic addemus, et confirmabimus, esse omnino agnoscendam hujus status possibilitatem. Hanc abnegaverat primo Lutherus, qui in c. 3. Gen. ait, Justitiam originalem fuisse tam necessariam in Adamo, quàm naturale est, quod oculi lumen recipiant « Dein Calvinus, qui l. 1. Inst. c. 15. vult repugnare attributis divinis, quod homo sine Justitia originali conderetur » 3. Bajus et Jansenius, qui pluribus in locis statum naturæ puræ impossibilem adstruunt. Hic error ex illorum falso principio oritur, *non esse nempe medium inter vitiosam cupiditatem, et laudabilem caritatem.* Quare cum in naturæ puræ statu caritas non esset, concludunt vitiosam tantùm cupiditatem esse potuisse, quod a Deo fieri, esset absurdum; quasi præter supernaturalem Dei amorem, âmor Dei naturalis dari non posset. Verum supra (N. xx.) ostensum est, gratiam sanctificantem et immortalitatem dona fuisse gratuita creaturæ innocenti concessa. Inter catholicos nonnulli volunt, statum hunc esse possibilem de potentia absoluta, non autem de potentia Dei ordinaria; quia id, ajunt, repugnaret decentiæ Creatoris ac illius providentiæ. Qui non ad-

vertunt, esse omnino impossibile, quod his Dei attributis repugnat: *In Deo enim*, ut docet S. Anselmus, *quamtumlibet parvum inconveniens sequitur impossibilitas*. Puræ ergo naturæ status possibilis habendus est. Reliqua ubi supra consulantur soluta.

CAPUT IV.

DE GRATIÆ ACTUALIS NATURA ET INDOLE.

XXV. Gratia, ut dictum est, in Actualem et Habitualem distinguitur. De hac habituali animam sanctificante, inferius agetur. Modo in quo sita sit Actualis Gratiæ essentia, considerandum est, quam alii in omnipotenti Dei voluntate collocant, ut Quesnellistæ: alii in sola intellectus illustratione: alii in motione voluntatis, quæ necessariò sit caritatis amor. Sed statuitur I. Christiana fide certum esse, Gratiam internam dari. Id enim est ostendendum adversus Socinianos, qui pelagianos veteres imitati asserunt, internis gratiis homines non adjuvari, sed externis tantùm, prædicatione Evangelii, pollicitatione præmiorum ac suppliciorum comminatione; cæteroquin vires habere sufficientes ad rectè agendum: Contra quos clamant sacræ Literæ. Legitur ex. g. in Actis Apost. C. XVI. 14. *Cum Paulus Philippis prædicaret, quædam mulier nomen Lydia . . . colens Deum, audivit; cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur a Paulo.* Hîc adest gratia externa, prædicatio Evangelii; cui additur interna, quæ per cordis aperitionem a Domino factam exprimitur. Innumera supersunt alia Scripturarum Pa-

trumque testimonia id confirmantia, quæ afferentur inferius; ut Psal. L. *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis ... et spiritu principali confirma me*. At Sociniani formidare videntur, ne interna gratia liberum evertat arbitrium. Verum tantum abest, ut gratia, quam admittimus, perimat libertatem illamque aut imminuat aut labefactet, quod sola efficit gratia necessitans a Calvino aliisque inducta; quin potius juvet hominis potestatem, debilitatas vires reficiat, libertatemque roboret atque adaugeat.

XXVI. Dein ponendum est, Gratiam actualem non ipsam esse voluntatem Dei omnipotentem. Id adstruebat Quesnellius auctor *Observationum moralium in Novum Test.* Quod tamen repugnat manifestæ Scripturarum auctoritati; nam Act. VII. dicitur: *Vos semper Spiritui sancto resistitis*. At voluntati Dei omnipotenti nunquam resistitur, ut ad Rom. IX. *Voluntati enim ejus qui resistit*. Gratia ergo non est omnipotens Dei Voluntas. Revera notio omnipotentiæ voluntati adjecta summam importat efficaciam; non tamen omnis gratia est efficax. Hinc a PP. et præsertim ab Augustino gratia passim appellatur vox, suasio, lumen, adjutorium, quo Deus movet et hominum corda inclinat. Sed hæc sunt quidem Voluntatis divinæ effectus; at inepte ipsa omnipotens dicerentur Dei voluntas; sicut ictus quo globum homo movet, ineptè homo ipse diceretur. Demum Theologi unanimes tradidere cum S. Thoma 2. p. q. 110. a. 1. Gratiam esse aliquid creatum in anima; atque proinde aliquid ab omnipotenti Dei voluntate distinctum. Quare plures ea de re damnatæ

sunt Quesnelli prop. in Bulla *Unigenitus*, ut xix. qua dicitur « Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas ». Ajunt Quesnellistæ, gratiam esse Dei voluntatem ratione principii, eo quod semper profluat ex omnipotenti Dei voluntate. Sed neque eo sensu id dici potest; tunc enim gratia omnis esset efficax, cum voluntas Dei omnipotens effectu nunquam careat. Nec essent gratiæ sufficientes, ut qui mandata Dei infringerent culpandi non essent, quia gratia destituerentur, qua illa implere possent. Quæ absurda consectaria sunt ab Ecclesia proscripta.

XXVII. Circa naturam itaque hujus actualis et excitantis gratiæ non una sententia est. Ant. Arnaldus (Epist. ad D. Duvancel) nihil aliud in gratia distinguebat præter voluntatem Dei et motum humanæ voluntatis liberum. Verùm gratia hæc excitans nequit esse ipsa mentis actio deliberata et libera; nam hæc actio est gratiæ effectus, ut omnes intelligunt. Deinde gratia est in nobis sine nobis, et a solo Deo producitur; sed actus noster liber non est sine nobis, nec a Deo solo producitur; ut enim docet Trid. Synodus Sess. VI. c. 5. *Homo gratiæ liberè assentiendo, ad justificationem se se disponit*. Quare ponit hunc liberum consensum a gratia distinctum; non ergo est gratia ipsa. Alii contendunt, excitantem gratiam esse actionem ipsam indeliberatam in anima existentem, nec tamen ab ipsa anima productam. Quod esse nequit: Nam omnis actio mentis ab anima activè producitur; alioquin non esset actio mentis, sed foret passio dicenda. Gratia igitur non est actus indeliberatus in anima existens, non productus ab ipsa. Bellarminus, Suaresius, et alii

volunt, primam actualem gratiam esse mentis actionem indeliberatam ab anima physicè et activè productam. Sed et hoc esse non videtur; nam gratia est in nobis sine nobis, ut innuitur Apocalypsis c. 3. *Ego sto ad ostium et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, introibo ad illum etc.* Non ergo a nobis sed a Deo gratia producitur; et si foret motus animæ, a Deo tunc et a nobis produceretur. Et hæc de gratia prima excitante dicta sint; licet enim primi actus indeliberati producti ab anima non sint gratia ipsa, sed illius effectus, semel tamen producti ad bonos actus excitant, ut sint totidem gratiæ. Quod si Patres aliquando gratiam vocarunt illuminationem mentis, motum, et affectionem voluntatis; id est intelligendum, quod gratia causa sit illuminationis intellectus, motusque voluntatis; at non quod sit actio indeliberata aut deliberata a mente producta

XXVIII. Quid ergo excitans Gratia erit? Resp. cum ex dictis Mentis actio non sit; erit aliquid prævium actioni illius, et effectus divinæ operationis in anima, qui effectus similis sit oportet ideis et impressionibus in animam injectis. Itaque Gratia tota a Deo producitur in eaque producenda partes nullas habemus. Et quidem juxta philosophos Mens humana in pluribus ideis et sensationibus suscipiendis passiva est. Cum ergo Deus aliquem ad se trahere vult, ideas quasdam et notiones immittit, quæ vocari possunt *Species impressæ*; quibus intellectui communicatis ignorantia propellitur, atque intellectus illuminatur. Inde nascitur motus mentis indeliberatus, cui mens liberè aut consentit, aut dissentit; et hic mentis actus *species expressa* a philosophis

dicitur. Impressiones hujusmodi vel occasione objectorum externorum, vel sine illis Deus immittere potest; eæque vel jucundæ esse queunt vel injucundæ, quas Deus pro nutu suo creaturarum indoli attemperat; penes quippe Deum est, eas quas vult vias seligere, quibus motiva hominis voluntati exhibeat, ut suas eliciant operationes. Gratia igitur actualis nec est ipsamet Dei voluntas, nec actus est indeliberatus in anima a Deo productus; cum actus mentis ab alio productus repugnet: nec esse potest actus indeliberatus productus ab anima, ut alii volunt; nam gratia in nobis est sine nobis. Ne igitur obscura et implexa loquamur, oportet ut actualis Gratia ad eum modum, quod dictum est, explicetur. Si cui verò hæc non sufficiunt, is meminerit illius dicti Ecclesiastis c. 3. *In pluribus Dei operibus non sis curiosus, plura enim supra sensum hominum ostensa sunt tibi*.

XXIX. At quomodo juxta doctrinam hanc Actualis gratia influit in actum? Nempe, ut in confesso est apud omnes, voluntas a gratia excitatur, movetur, alliciturque ad actus salutares, seu, quod idem est, Gratia *moraliter* influit in actum. Imo addi potest, Gratiam hos edere effectus non tantum suadendo et excitando; sed et voluntati vires conferendo, quod esset in actum *physicè* influere. Ita medicus languentem non modo ad ambulandum invitat, sed et pharmaca suppeditat, quibus vires acquirat quò ambulare possit: ita quis hominem itinere fessum cibo et potu recreat, ut viribus restitutis inceptum iter conficiat. Hinc intelligitur, cur PP. gratiam nobiscum cooperari dicant; quod est cum alio aliquid simul agere: intelligitur præterea, quomodo vo-

luntatis vires per peccatum debilitatæ instaurentur per Gratiam non solum corroborando, sed et potestatem augendo, quin propterea arbitrii auferatur potestas; nam ut docet Augustinus de *Sp. et Lit.* c. 30. *Sicut Lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed stabilitur; quia nempe gratia sanat voluntatem, qua justitia liberè diligatur.* Quare tertio loco statuendum est; Excitantem Gratiam non in sola intellectus illustratione consistere, sed etiam in motione voluntatis ut contra Vasquesium communiter doceri solet. Ut enim Psal. CXVIII. habetur, propheta Deum orabat: *Inclina cor meum in testimonia tua*. Ad Philipp. 2. ait Apost. *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate*. Quæ certè ad voluntatem pertinent, et motionem immediatam in sensu obvio significare videntur. Revera Patres gratiam hanc appellant dilectionem, suasionem, delectationem ac tactum cordis, quæ propriè ad voluntatem pertinent; et cum hæc gratia præcipuè ad medelam detur, languidæ facultati applicari debet, quæ infirmitas in voluntate sita est. Hinc discrimen elucet innocentis ac præsentis status. Nam si gratia intellectus tunc sufficiebat, modo agnoscenda est etiam gratia voluntatis, uti visuri sumus.

XXX. Quarto autem loco ponendum est: Non omnem gratiam voluntatis, nec proinde quemcumque rectum Dei amorem esse caritatem propriè dictam, aut inspirationem ejusdem; at verò dari amorem medium vitiosam cupiditatem inter et caritatem supernaturalem; quod est adversus Jansenistas demonstrandum. Sed primò notandum Thomistas nonnullos docuisse, omnem voluntatis motum esse amorem, eo quod ab amore qua-

si a causa dimanet. Hoc placitum ita genericè positum absque fidei dispendio affirmari posset, cum diversi amores esse queant. Sed addunt Jansenistæ, inter caritatem saltem initialem aut ejusdem inspirationem, et vitiosam cupiditatem nullum amorem medium dari; ita ut quod non fiat ex caritate saltem initiali peccatum sit commissionis, cum actus intrinsecè vitiosus sit. Undè concludunt, gratiam omnem esse caritatem saltem initialem, aut inspirationem ejusdem. Verum non omnis actus voluntatis est amor; nam odium est voluntatis actus, qui propriè loquendo amor non est; licet ad summum ab amore nostri veluti a causa remota ortum ducat. Maximi autem momenti est, ut Jansenistarum principium refutetur, qui nullum esse medium ponunt inter supernaturalem caritatem initialem et vitiosam cupiditatem: Contra quos 1. fides docet, multiplicem esse virtutem Theologicam specificè distinctam, ut 1. Cor. XIII. *Nunc manent Fides, Spes, Caritas, tria hæc.* Et ad Coloss. III. *Induite vos viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam . . . super omnia autem hæc caritatem habete.* Sed hæ virtutes minimè distinguerentur, si nullum esset inter Caritatem et cupiditatem medium. Præterea Tridentinum Conc. Sess. VI. c. 28. definit, Fidem stare posse absque caritate; non sunt ergo formaliter idem. 2. Sed ulterius Trid. ibi Cap. VI. dispositiones ad justificationem ita ex ordine recenset: *Disponuntur autem ad justitiam, dum excitante divina gratia Fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum, et dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei miseri-*

cordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes sibi propter Christum propitium fore, illum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt &c. At illi priores actus, pii licet ac laudabiles, et a divina gratia excitati, non sunt ipsa Caritas ne quidem initialis, nec ab illa dimanant; dantur ergo actus pii et recti a Caritate distincti. 3. Quare damnata est inter alias Baii prop. 38. « Omnis amor creaturæ rationalis aut est vitiosa cupiditas, qua mundus diligitur; aut laudabilis illa Caritas, qua Deus amatur ». Ita plures in Quesnello damnatæ propositiones habentur; eademque doctrina proscripta est a Pio VI. in Bulla *Auctorem fidei* propp. XXIII. et XXIV. 4. Eandem quoque doctrinam improbat S. Augustinus, qui Serm. 349. habet: *Caritas alia est divina, alia humana: alia est humana licita, alia illicita... et non solum ita licita est caritas humana ut concedatur; sed ita licita, ut si defuerit, reprehendatur* 5. Id ratio evincit: Nam rectitudinis amor, parentum, liberorum, amicorumque: amor ordinis et honestatis: amor Dei ut auctor naturæ est ac nostræ felicitatis in genere, est laudabilis, licet caritas supernaturalis non sit. 6. Tandem ex ea doctrina prava consectaria fluunt, ut: extra Ecclesiam nullam gratiam dari: Omnia infidelium opera esse peccata: peccata esse actus fidei et spei sine caritate: liberum arbitrium sine gratia non nisi ad peccandum valere: noxias esse preces, nullamque sine caritate esse pietatem, et alia sexcenta absurda et impia, quæ sæpius damnata habentur. Flocci itaque faciendum est quod proferunt ex Augustino ab ipsis pravè intellecto, dum Enchir. c. 117, ait: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei*

caritas. Hic enim, ut alii PP. id dicunt ut plurimum evenire ac ordinariè, non vero semper: Sæpe etiam caritatem sumunt lato sensu pro quolibet actu recto et honesto, qui a Deo omnis bonitatis fonte per rationis lumen dimanat. Eo sensu accipiendum est, quod ait Aug. c. 21. de Gratia Christi « *Quasi verò aliud sit bona voluntas quam caritas* » Ubi exemplo utitur Assueri, qui lenis in judæos factus est; quod certè non contigit ex caritate propriè dicta et supernaturali. Quoties igitur amor ita hæreat in creatura, ut omnem ad Deum non excludat relationem, aut etiam implicitè illam tantum contineat, minimè vitiosus, sed rectus, licitus et honestus amor habendus erit.

CAPUT V.

DE ACTUALIS GRATIÆ NECESSITATE.

XXXI. Circa Actualis Gratiæ necessitatem hæretici, ut vidimus, in opposita opinamenta prolapsi sunt. Pelagiani eam homini minimè necessariam arbitrabantur ut bonum operaretur, eo quod, ajebant, vires naturales ipsi sufficerent. Semipelagiani hunc errorem temperantes, gratiam hanc ad opus bonum necessariam dabant; at volebant a Deo iis tantum concedi, qui bonis desideriis illam efflagitarent. Janseniani ex adverso gratiam prorsus necessariam prædicant, at simul affirmant, Deum sæpe hominibus etiam justis et volentibus eam denegare, eo quod illam minimè mereantur. Ecclesia tamen Catholica utrosque redarguit ac damnat; atque

docet Gratiam quidem ad opus bonum supernaturale omninò esse necessariam; ideoque omnibus illam Deum largiri, non jam quod illam mereri queant; at quia Christus Jesus illam meritus est ac pro omnibus acquisivit, ejusque intuitu Deus Pater omnibus eam impertit, cum *propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, Unigenitum suum dederit redemptionem pro omnibus*, ut ait Apostolus. Hæc est Scripturarum et Patrum doctrina, quæ singulis fiduciam ingerit, atque in spem erigit æternæ vitæ. Inquirendum itaque est 1. An Gratia hæc sit ad verum cognoscendum necessaria. 2. An ad operandum bonum. 3. An ad perseverandum in ipso. Et verum quidem aliud est *naturale*, seu intra naturæ ordinem, quod sola ratione cognosci potest: aliud *supernaturale*, quod ordinem naturæ excedit nobisque sola Revelatione innotescit ac fide. Utrumque aut *speculativum* est, quod nempe in sola rei contemplatione consistit: aut *practicum*, quod ad actus in ordine morali ordinatur.

XXXII. Statuitur ego I. quod homo lapsus veritates aliquas naturales sive speculativas sive practicas absque actuali gratia cognoscere certò potest. Id enim post S. Thomam Theologi universim docent. Nam Apost. ad Rom. I. declarat, gentiles philosophos ex mundi aspectu in cognitionem Dei devenisse, ac propterea fuisse inexcusabiles, quia *cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt*. At qui Deum noverant eundemque noverant glorificandum, veritatem noverant et speculativam et practicam: Hinc S. Augustinus ajebat (De Sp. et Lit. c. 17.): *Non usque adeo in anima imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut extrema linea-*

menta remanserint. Igitur aliquod verum ab homine absque gratia cognosci potest. Revera intellectus etsi per peccatum obscuratus, lumine tamen naturali præditus est ut cognoscere queat veritates naturalis ordinis sibi proportionatas; ut, quod tibi fieri non vis alteri ne feceris: parentes sunt honorandi, &c. Licet ergo ad omnes veritates naturales assequendas, ob illarum multitudinem et varietatem, homo sit *moraliter* impotens; ut nemo hucusque sibi relictus scientias omnes absque ulla erroris mixtione adeptus sit, habetur enim Sapien. IX. 14. *cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ:* plures tamen veritates sine speciali Dei auxilio nosse potest; ut eleganter S. Prosper ostendebat in Carmine De Provid. sic ethnicos urgens:

Ite ipsi in vestræ penetralia mentis, et intus
Incisos apices, ac scripta volumine cordis
Inspicite, et genitam vobiscum agnoscite legem.
Nam quis erit, modo non pecus agri, aut bellua ponti,
Qui vitiis adeo stolidè oblectetur apertis:
Ut quod agit, velit ipse pati? Mendacia fallax,
Furta rapax, furiosum atrox homicida cruentum
Damnat, et in mechum gladios distingit adulter.

Quibus nonnulli opponunt illud Apostoli 2. Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis*. Et Psal. 93. *Cogitationes hominum vanæ sunt.* Ita Gen. 6. *Cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum omni tempore*. Concilium quoque Arausic. II. c. 22. ait: Nemo habet de suo, nisi mendacium « Sed hæc thesim nostram minime infringunt: Nam Apostolus de cogitationibus loquitur supernaturalibus, et ad æternam vitam conducentibus. Quod vero legitur Psal 93.

et Gen. VI. est intelligendum, quod cogitationes vanæ sunt et in malum intentæ ut plurimum, non autem semper; non enim de absoluta, sed de morali universalitate Scripturæ loquuntur. Hinc licet ibid. dicatur, quod *omnis caro corruperat viam suam*, additur tamen: Noe virum justum *invenisse gratiam coram Deo*. Demum Conc. Arausicanum loquitur contra Semipelagianos et sermonem habet de cogitationibus non in ordine naturali, at verò in ordine ad vitam æternam. Stat ergo posita propositio.

XXXIII. Statuitur II. Quod sine interioris gratiæ auxilio, nec fides supernaturalis, nec fidei initium haberi possit. Legitur enim 1. ad Cor c. IV. *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis*. Quo testimonio semipelagianorum error confoditur; si enim initium fidei a se quis habere posset, jam de illo posset gloriari. Id Augustino tanti ponderis visum est, ut inde ab illo errore avocaretur, in quo ante Episcopatum aliquantisper versatus fuerat. Præterea idem Apost. 2. Cor. 3. id confirmans ait: *Non enim sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. Quæ maxime de supernaturalibus donis dicta sunt. Itaque Conc. Tridentinum Sess. VI. Can. 3. ex universa Ecclesiæ traditione definit: *Si quis dixerit, hominem sine Spiritus sancti inspiratione atque ejus auxilio credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*. Profecto ad vincendas difficultates quæ fidei opponuntur, ut præjudicia, errores qui ab infantia imbibuntur, superba homi-

num indoles quæ refugit credere quod non videt, opus habet gratia divina. Cur ergo, ajunt quidam, hæretici qui gratia destituuntur nonnullos tamen credunt fidei articulos? Qui non animadvertunt, hæreticos credere ex motivo humano, fideque humana et naturali, aut dubia; vel firma quidem, sed ex pertinaci animo ac inutili ad salutem; non verò ex fide divina; quæ ordinario modo non nisi per veram Christi Ecclesiam haberi potest. Credunt ergo hæretici ea fide, qua impia sua dogmata credunt, quod ita nempe doceantur a suis pseudopastoribus: aut etiam ex privata persuasione et ex privato suo spiritu; non verò propter Ecclesiæ auctoritatem eam fidem proponentis. Quare illa non est fides divina, cum non sit firmo motivo innixa, nec qualis sit oportet ad consequendam salutem; requiritur enim, ut res certò credatur ex parte Dei revelantis, tum ex parte subjecti seu fidelis, qui mori potius malit, quam fidem prodere. Neutrum autem hæretici certum habere queunt, qui Ecclesiæ abnegant auctoritatem. Nec reponatur, motiva fidei esse moraliter evidentia, ut propterea sine gratia credi possint: Nam res evidenter credibiles sine gratia credi possunt fide humana et ad salutem inutili; non autem fide divina atque pio affectu subjiciendi se Deo revelanti, ut ad credendum sicut oportet Gratia requiratur. Motiva ergo illa dispositiones sunt ad fidem supernaturalem; at ipsa fides divina non sunt, quæ in sola humana persuasione ac sterili sistere nequit.

XXXIV. Statuitur III. Quod homo lapsus sine interioris gratiæ auxilio nullum bonum supernaturale, seu ad salutem pertinens, velle aut perficere potest. Hoc semper Ecclesia fide divina credendum adversus Pela-

gianos docuit; idque ostenditur 1. Argumentis, quibus jam ostensum est, sine gratia bonum supernaturale cognosci non posse: sed nemo velle potest quod ignorat; multo igitur minus bonum illud velle poterit ac perficere. 2. Revera id Scripturæ clarè testantur. Jo. vi. ait Christus: *Nemo potest venire ad me. nisi Pater, qui misit me, traxerit eum:* Et Cap. xv. *Sine me nihil potestis facere*. His consonat Apost. 2. Cor. c. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis*. Et 1. Cor. 2. *Deus est enim qui operatur in nobis velle et perficere*. Quibus testimoniis præ cæteris Concilia et Patres semper usi sunt contra Pelagianos; quod et ex perpetua Ecclesiæ praxi confirmatur, quæ gratiam ad recte operandum precibus a Deo implorat, et cujus gratiæ Davidis Psalmi perpetua sunt invocatio. Sed est animadvertendum, hominem sine gratia non modo esse nunc in impotentia morali seu in maxima difficultate bonum supernaturale peragendi; sed esse in vera, physica, et propriè dicta impotentia. Præterea adducta argumenta non solius gratiæ externæ adstruunt necessitatem, ut ajebant hæretici; sed internæ potissimum, ut Concilia et PP. semper intellexere. Has tamen theses olim impetebant cum Cassiano Semipelagiani; qui licet darent, gratiam aliquando antecedere voluntatem, et quasi dormientem excitare; sæpius tamen designari in Scripturis, initium credendi proficisci ab ipsa hominis voluntate, ut cum dicitur Lucæ xi. *Petite et accipietis:* Aut Proverb. xvi. *Hominis est præparare animam:* Et Zachariæ I. *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos;* et alia hujus generis. At frustra his locis abutebantur. Abunde enim constat ex dictis, cum

homo petit, cum se præparat, aut se convertit, id semper facere gratiæ prævenientis auxilio; cum dixerit Christus « *sine me nihil potestis facere :* et alibi : *A Domino gressus hominis dirigentur*, ut alia omittamus. Hinc Tridentinum Conc. Sess. VI. cap. 5. « Cum ergo dicitur in Sacris Literis : Convertimini ad me et ego convertar ad vos; libertatis nostræ admonemur : cum respondemus: converte nos Domine ad Te, et convertemur; Dei gratia nos præveniri confitemur ». Quare Zachæi festinatio et in quærendo Dominum sollicitudo a Dei gratia illi inspirata fuit; ut affirmat Conc. Arausicanum II. can 25. Et Cornelius Centurio, ut ait S. Augustinus, non sine gratia orabat, ac res suas in egenos effundebat. Ex illo etiam Apostoli 1. ad Tim. c. 1. *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci :* argumentabantur, quod si illa ignorantia causa fuit obtinendæ gratiæ, potiori jure eam bona opera moralia consequentur. Errabant tamen ignorantiam illam considerando ut causam meritoriam, quæ juxta Apostolum non fuit nisi congruum et conveniens objectum Dei gratuito tamen condonantis. Alioquin quot ignoranter peccant, qui gratiam minimè consequuntur? Sed ajunt: Actus fidei est physicè a naturali intellectus facultate; naturalis ergo actus habendus est. Hoc inquam, minimè consequitur: Nam Actus fidei supernaturalis est quidem ab humano intellectu, ut diximus, sed non suis viribus, non sibi soli derelicto; at vero gratia supernaturali adjuto ac roborato. Itaque ajebat Apost. Ephes. 1. *Domini nostri J. C. Pater det vobis spiritum sapientiæ et revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri.*

XXXV. Pelagiani veteres, quos imitantur recentes Sociniani, contra gratiæ necessitatem ad bona opera peragenda et ad fidem concipiendam afferebant Patres non paucos sive græcos sive latinos, qui contra necessitatem gratiæ stetisse ajebant; quasi senserint, Deum nostra desideria subsequi nostrosque conatus. Hinc nata semipelagianorum querimonia adversus S. Augustinum, quasi ab antiquis in sua doctrina ipse recesserit Id injuriosè affirmarunt quoque Calvinus, Jansenius, et etiam Launojus, qui volunt, doctrinam de Gratiæ divinæ necessitate Augustinum primum docuisse; quod certè impiè asseritur contra perpetuam Ecclesiæ fidem. Itaque Isaacus Habertus Vabrensis Episc. in Opere: *Theologia græcorum Patrum vindicata*, aliique eruditi plures ostenderunt, hac de re veteres illos recte sensisse. Quod si in eorum Operibus aliquid occurrat obscurè dictum, facile catholicum in sensum exponi poterit, quoties consideremus, eos in hoc potissimum laborasse, ut adversus Marcionitas, Manichæos, aliasque hæreticorum pestes liberum hominis arbitrium vindicarent, illæsis tamen divinæ Gratiæ juribus. Quinimo eam omnibus ita esse præsentem censebant, aut ex divina gratia saltem orandi studium ita in promptu haberi, ut unusquisque potestate frueretur inchoandi suæ salutis opus, cujus cooperationis merito uberiora auxilia Deus impertiri paratus esset, si quidem nullus opponeretur obex: quod certè nullatenus officit gratiæ necessitati. Hinc illud apud antiquos erat pervulgatum carmen:

Quidquid habes meriti, præventrix gratia donat:

Atque hinc factum est, ut exorta Pelagianorum hæresis in execrationem statim incurrerit universalis Ecclesiæ si-

ve in Oriente sive in Occidente, et Oecumenica Ephesina synodo communi calculo damnata sit. Itaque Patres illi SS. Justinus, Irenæus, Clemens Alex. Hilarius, Ambrosius, Nazianzenus, Jo. Chrysostomus facilè vindicantur. Nam cum Justinus in Apol. I. ait, philosophos qui rectæ rationis dictamen secuti fuerant aliquo modo ad Christum pertinuisse, et ex parte Christum Socrati fuisse notum; nil aliud intelligebat, quam eos naturalis rationis ductum fuisse secutos; quæ æternæ rationis seu verbi divini participatio quædam est: unde colligebat, antiquam esse Christi Religionem, nec ejus doctrinam novitatis esse accusandam, ut objicebant gentiles. Nullibi tamen nec Justinus nec alii PP. asseruere, absque lumine et gratia cælesti salutare opus aut inchoari aut perfici posse. Ita Irenæus ait quidem, patriarchas ante Legem justos fuisse lege naturæ; at id non vult solis naturæ viribus, qui alibi, ut l. 3. c. 19. agnoscit gratiæ necessitatem. Clemens Alex. verò cum scribit, philosophiam præparare animam ad fidem, et per eam justificari; non jam intelligit, philosophiam motivum fuisse, cur Deus gratiam largiretur, sed quod removeret obices, quibus mens humana a suscipienda fide præpediri potest. Cum ajebat Chrysostomus, « Non prævenit Deus nostras voluntates, ne perimat liberum arbitrum » id affirmabat contra Manichæos, qui voluntatem nostram a Deo volebant necessariò agi; Nam quid ipse senserit, aperit in Cap. IV. Epistolæ I. ad Cor. ubi « *Deus*, inquit, *nos prævenit, ut velimus, et volentes subsequitur, ne inaniter velimus*. Ita S. Hilarius, qui solam gratiam necessitantem rejicit; quæ si daretur, fides præmium non haberet. Cum verò scribit Ambrosius in Psal. 36. « Ne expectes, ut te excitet Christus, sed po-

tius Christum excita » genuinus sensus est: Ne sis desidiosus, sed ora frequenter, et gratia orationis, quæ non deest, utere ad Christum excitandum et ad obtinendum uberius auxilium. Hinc. l. 1. in Lucam habet « *Nemo quidquam incipere sine Domino potest* » Nec Hieronymus semipelagianis favet, cum l. 3 contra Pelagium ait « Nostrum esse velle, Dei autem ut impleamus quod volumus » Nam ipsum intellexisse, nostrum esse velle cum gratia, constat ex Epist. ad Ctesiphontem, ubi scribit: *Velle et currere meum est, sed ipsum meum sine Dei auxilio non est meum: dicit enim Apostolus: Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere.* Demum ait quidem August. l. de Præd. SS. c. V. *Posse habere fidem, sicut posse habere caritatem, naturæ esse hominum.* At ibi non vult eam acquiri posse propriis viribus, sed fidem posse haberi passivè, sive capacem esse hominem recipiendæ fidei; quod per se clarum est.

XXXVI. Tandem Semipelagiani opponunt: Si gratia omnibus est necessaria et ipsum quoque fidei initium, cum velit Deus omnes homines salvos fieri, cur ea non omnibus datur? Quibus cito respondetur: Non omnibus dari fidem, quia non omnes oblatæ gratiæ obtemperant et vocationi divinæ; sed multi ponunt obicem ac reluctantur: Hinc Apost. ad Hebr. c. v. 9. habet, quod *Christus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Cur verò aliquibus etiam obluctantibus, inquiebat Augustinus; ita fides suadeatur, ut etiam persuadeatur: Cur e duobus æque iniquis unus trahitur, alter verò relinquitur, inscrutabilia Dei judicia sunt; ac universim tantùm dici potest, qui relinquitur justissimo Dei judicio relinqui; qui verò assumitur, ex

pura Dei misericordia salvari. Nec ideo personarum acceptor Deus dici posset; ad hoc enim requireretur 1. Ut persona jus haberet ad bona, quæ distribuuntur 2. Ut in distributione ratio haberetur alicujus conditionis in persona, nihil facientis ad distributionem. Verum in distributione gratiæ utraque illa conditio deest; cum nullum jus supponat in homine, nec ullam naturalem personæ conditionem, cujus intuitu gratia largiatur. Ad sinceram denique voluntatem Dei circa omnium salutem, sufficit si omnibus ac singulis gratiam det ac media suppeditet, quibus rectè utentes salutem verè queant adipisci; at non requiritur, ut omnia possibilia gratiæ auxilia largiatur; quod esset absurdum. Cæterum impium esset cum Bajo asserere, Deum « impossibile aliquid potuisse imperare, qui justus est; aut damnaturum fore hominem pro eo quod non potuit vitare, qui pius est » ut August. ait De Nat. et Grat. c. 43.

XXXVII. Sed hîc Theologi inquirunt: Utrum homo justus præter Habitualem seu sanctificantem gratiam actuali auxilio indigeat, ut supernaturale bonum operari queat. Nam Lud. Thomassinus, qui Gratiam habitualem contendit activam esse, ait, in actualem etiam quodam modo resolvi, et justis vires conferre sufficientes ad bonum supernaturale peragendum. In peccatoribus tamen actuales gratias agnoscit. Itaque hic Auctor de gratia habituali intelligit, quod Milevitanum Conc. de Gratia generatim sumpta constituit. Verum ex communi Theologorum consensu post S. Thomam, hominem justum ad opus supernaturale peragendum præter sanctificantem gratiam auxilio quoque actuali indigere agnoscendum esse videtur; quod S. Augustinus censet, ut supra vidimus N. XXII.

CAPUT VI.

QUÆRITUR AN HOMO GRATIA INDIGEAT, UT BONUM ORDINIS NATURALIS OPERETUR, TENTATIONES VINCAT, ET PERSEVERET.

XXXVIII. Magna hîc principio exoritur Quæstio utrum nempe homo aliqua opera moraliter bona sine supernaturali fide, aut etiam sine ulla veri Dei cognitione operari queat, ita ut omnia infidelium opera non sint peccata? Circa quam Lutherus et Calvinus contendebant, solis naturæ viribus nihil boni moralis peragi posse, licet liberum arbitrium penitus extinctum vellent; imo censebant, omnia opera, etiamsi cum divino auxilio peragantur, esse peccata; quæ fidelibus quidem non imputentur, imputentur verò cæteris aliis. Bajus autem et Jansenius cum inter caritatem Dei et vitiosam cupiditatem medium nullum agnoscant, idcirco omnia infidelium opera totidem esse peccata pronuntiant: ita Jans. l. 3. *de statu Nat. lapsæ*. Ant. Arnaldus l. *de necessaria in Christum fide*; cum expressè affirmet, non posse opus bonum peragi sine fide in mediatorem Christum, hinc errorem eundem propugnat. Jansenii defensores nonnulli etiamsi fateantur, aliqua infidelium opera in se bona esse posse ratione objecti et etiam ratione finis honesti; contendunt tamen semper peccare saltem peccato omissionis, actus in Deum ut in ultimum finem non referendo; et hac futili distinctione anathematis vim conantur eludere. Tandem Car. Jos. Tricassinus cum

paucis aliis, qui inter infideles Deum agnoscentes distinguunt, et infideles Dei notitia destitutos, ajunt, priores opera bona exequi posse: at posteriores peccare semper ex malo fine ac perversa intentione. Adversus itaque hos omnes, quibus nuper accesserat Synodus Pistoriensis Jansenistis adhærens prop. XXIII. inter damnatas in Bulla *Auctorem fidei*, doctrina catholica vindicanda est.

XXXIX. Statuitur itaque I. Hominem sine fide supernaturali, sine fide in Deum et in mediatorem Christum, imo sine ulla etiam Veri Dei cognitione, opera aliqua moraliter bona operari posse; ut omnes infidelium actiones peccata minimè censenda sint. Id 1. ostenditur ex quo Exodi I. 20. remunerentur laudenturque ægyptiæ obstetrices, quod pepercerint hebræorum masculis, quos Pharao præfocari jusserat: *Benefecit Deus obstetricibus, et quia timuerunt Deum ædificavit eis domos:* id est felicem et copiosam prolem tribuit. Quis hîc dixerit, Deum actiones malas laudare ac remunerare potuisse? Ajunt hîc nonnulli, obstetrices Deum cognovisse. Ita sit, verum fidem in Mediatorem non habuere; ut propterea Lutherus, Calvinus, Bajus, Jansenius longe aberrent. Inquiunt alii, actionem illam in se bonam fuisse, ut idcirco remunerata sit; at malam fuisse ex fine, ac defectu relationis in Deum, et per mendacium subsequens vitiatam fuisse. Verum actio mala ratione finis et circumstantiarum recta simpliciter dici nequit, nec a Deo laudari; nam circumstantiæ et fines Deum latere non possunt. Falsum quoque piam hanc actionem per mendacium subsequens vitiatam fuisse cum mendacium illud post longum tempus subsecutum

sit, nec priorem actionem illam vitiare potuerit. Hinc August. l. c. mend. c. 15. *Non est in eis remunerata fallacia, sed benevolentia: benignitas mentis, non iniquitas mentientis*. II. Ezechielis XXIX. habetur, quod Nabuchodonosor Tyrios expugnaverit, terramque Ægypti ejusque opes in præmium a Deo acceperit, eo quod Deo obsecutus sit: *propterea quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus*. Ubi Hier. ait: *Ex quo hic mercedem acceperit boni operis, intelligimus, etiam ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri*. III. Propheta Daniel c. 4. Nabuchodonosorem hortatur, ut *peccata sua eleemosynis redimat:* non ergo infidelium eleemosynæ peccata sunt; tunc enim nec suaderi possent nec Deum placare. In Scripturis quoque laudantur Cyrus et Darius eo quod judaici populi captivitatem relaxaverint, ac Templum instaurari mandaverint. Laudes etiam Assuerus meritus est, quod Mardochæum exaltaverit, et Aman justo supplicio affecerit. IV. Apostolus ad Rom. 2. *Gentes*, inquit, *quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt: ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium ipsis reddente conscientia ipsorum*. Cum ergo gentes juxta rectam conscientiam agunt, haudquaquam peccant. V. Meritò propterea a S. Pio V. Greg. XIII. Urbano VIII. hæ Baii propositiones damnatæ sunt « Omnia infidelium opera sunt peccata » Virtutes philosophorum sunt vitia « Et ab Alex. VIII. hæc altera » Necesse est infidelem in omni opere peccare « Falsum id ergo et impium. VI. Patres id communiter sensere. Hinc S. August. Ep. 44. tem-

perantiam Polemonis gentilis laudat; Et l. VIII. de Civ. D. c. 15 ait, *romanis Deum imperium magnum dedisse, ut naturales ipsorum virtûtes remuneraret:* peccata ergo esse non poterant. S. Hieron. in c. 1. ad Gal. scribit: *Multi absque fide et Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliquid, vel sancte, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant*. VII. Nec rationes apertè id suadentes desunt. Nam 1. lumen intellectus per peccatum quidem obscuratum est, non tamen extinctum: liberum arbitrium vitiatum est, at non penitus deletum, ut Tridentinum docet. 2. Si infidelium opera semper vitiosa essent, sequeretur, naturali pietate parentes observantes, misericordiæ motu manum inopi porrigentes, summum bonum quod ipsos latet cognoscere exoptantes, peccare, ac deteriores fieri; quod absurdum est. 3. Hæ actiones tum ratione objecti, tum finis laudabiles esse queunt, ut eleemosyna ex benevolentia, commiseratione, ac rectitudine naturali oblata; nec necesse est, ut infideles ex pravo fine semper operentur; imo cum naturali rectitudine fiunt, implicitè referuntur in Deum, qui est ipsa æquitas et rectitudo æterna: tandem non est opus, ut ex motivo infidelitatis semper agant. Recti igitur ac honesti actus sæpe haberi debent.

XL. Adversarii tamen non silent, et hæc Scripturarum promunt testimonia: 1. Matth. VII. *Non potest arbor mala bonos fructus facere:* ubi viri mali voluntatem designari ajunt. 2. Ephes. IV. habetur: *Gentes ambulare in vanitate sensus sui*. 3. *Ad Hebr.* 12. *Sine fide impossibile est placere Deo*. 4. Et ad Rom. XIV. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*. 5.

Ad Titum c. 1. *Infidelibus nihil est mundum*. 6. 1. Cor. 1. *Sive manducatis sive bibitis omnia in gloriam Dei facite*; et ad Coloss. 3. Omnia quæcumque *facitis, in nomine Domini N. J. C. facite*; Quod infideles, qui Christum ignorant, præstare nequeunt. Quæ certè omnia levia sunt et explicatu facillima ut tantam veritatem ne vel minimum labefactare queant. Nam ad 1. Per arborem malam nonnulli falsos prophetas intelligunt, aut veram doctrinam adulterantes, a quibus cavendum sit: at inde non sequitur, infideles nullum actum honestum peragere, qui ex infidelitate non semper operantur. Deinde sicut arbor mala ut plurimum fructus bonos facere nequit, ita et mali homines; at non inde sequitur, facere semper fructus malos. Imo juxta multos arbor mala est homo ex cupiditate agens ac in ea perseverans, quem non sequitur, nunquam ex ratione operari posse. Ad 2. Innuit quidem Apostolus, gentes sæpe ambulare in vanitate sensus sui; non verò semper id vult. Ad 3. Impossibile quidem est sine fide placere Deo, eique gratum esse; at non posse infidelem operari actum aliquod bonum in ordine naturali et imperfectè, quod non reprobetur a Deo, imo et laudetur, id non inficiatur Apostolus. Ad 4. Vult Apost. omne quod non sit ex fide practica, seu ex conscientia, id esse peccatum; non verò id omne quod ex fide theologica non oriatur. Id scopo Apostoli congruit, ubi eos reprehendit, qui cibos quos existimabant vetitos comedebant. Aliàs dicere oporteret, id non semper, sed ut plurimum evenire; quod sit peccatum. Ad 5. dicendum, *infidelibus nihil esse mundum*, quoties ex infideli animo agunt et actus suos inquinant;

non cum propter honestum finem operantur. Itaque plerumque, non semper. Ad 6. Plures respondent cum Bellarmino, Verba illa consilium, non præceptum propriè dictum complecti: Reponunt alii, opera nostra in Deum esse referenda implicitè vel explicitè; at explicitè non semper; cum sit præceptum negativum simul et affirmativum: uti negativum, obligat semper ad nihil contra Dei gloriam agendum; ut autem affirmativum est, licet frequenter urgeat, tamen non obligat semper, sed sufficit aliquando actiones implicite ad Deum referre (Vid. S. Thom. 1. 2. q. 100. a. 10) Alioquin infideles non peccarent, cum nemo peccet in eo, quod nullo modo vitare potest.

XLI. Plura etiam congerunt adversarii ex D. Augustino, ejus dicta perversè interpretantes. Hinc affirmat quidem, actum, in quantum non est ex fide, peccatum esse ut plurimum; at non semper vult esse peccatum. Alibi verò habet, quod non sit ex caritate, non benè fieri, id est non fieri utiliter ad salutem; non verò peccatum semper esse vult. Ait S. Prosper in carmine *De Ingratis*:

Omne etenim pietatis opus, nisi semine veræ
Exoritur fidei, peccatum est . . . . . .

At de infidelibus id esse intelligendum, qui pravo fine in suis actibus diriguntur, per se clarum est. Hinc statim subdit:

. . . . *inque reatum*
Vertitur, et sterilis cumulat sibi gloria pœnam.

Antea verò dixerat:

Nec vitæ æternæ veros acquirere fructus
De falsa virtute potest . . . .

De prava hac intentione ajebat Christus Matth. VI. *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit*. Præterea inquiunt adversarii: infidelis vel actus refert ad falsum numen, vel non: si primum, peccat: si alterum peccat pariter, cum contra conscientiam agat, quæ ipsi dictat falsum cultum illum. Sed conscientia non semper ei dictabit, actiones ad idolum esse referendas; cum ergo id omittit, et agit ob alium honestum finem, contra conscientiam non operatur: falsa ergo altera dilemmatis pars. Adde, hanc infidelis conscientiam non esse invincibilem, ut facile deponere illam possit. Quod tandem regerunt, finem hominis in præsenti statu esse supernaturalem; ut hinc tendere ad finem suum teneatur; reponimus, sufficere infidelibus, si directè huic fini non se opponant creaturis uti fini ultimo inordinatè inhærendo. Itaque neque a Christianis sub peccati pœna exigitur, ut ob supernaturalem finem singulis instantibus operentur. Queunt ergo homines gratia sanctificante orbati opera quædam bona perficere, ut jure Trid. Concilium definiverit Sess. VI. can. 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata, anathema sit*. Sed hæc evincunt quidem, infideles aliquod bonum morale peragere posse; at non demonstrant, utrum illud possint naturæ viribus, an verò gratia Christi ad illud necessaria sit? Id modo est aperiundum.

XLII. Statuitur ergo II. Hominem lapsum propriis viribus et absque Gratia bonum aliquod ordinis naturalis efficere posse; ut post S. Thomam 1. 2. q. 109. a. 5. Scholæ Theologicæ sentiunt. Docent id contra Bajum,

Jansenium, eorundemque asseclas, qui volunt, liberum arbitrium sine Dei gratia, quæ sit caritas ipsa, nequidquam nisi ad peccandum valere. Henr. Noris verò (in *Vindiciis Augustinianis p. 4.*) contendebat ad omne opus bonum naturalis ordinis supernaturale gratiæ auxilium requiri. Gabriel Vasquez et ipse speciale aliquod auxilium exigit naturæ lapsæ indebitum, ac ex meritis Christi concessum, qui naturales etiam gratias ad naturalia bona peragenda meruerit; quæ tamen bona hi duo Theologi docent sine fide et caritate posse fieri, in quo a Bajo et Jansenio recedunt. Verum posita prop. nostra Sum. Pont. Pii v. et Greg. xiii. auctoritate non obscurè fulcitur, qui damnant in Bajo prop. 27. et 37. « Liberum arbitrium sine adjutorio Dei nonnisi ad peccandum valet » Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis ex solis naturæ viribus ortum ducere agnoscit « Tum auctoritate Clementis xi. in damnatis Quesnelli propp. 38. 39. 40. eundem errorem renovantibus, inter quas 38. habet « Peccator non est liber nisi ad malum sine gratia Salvatoris » 2. Id confirmatur S. August. auctoritate *De Nupt. et Concup.* scribentis c. 3. *Liberum nostrum arbitrium parum valere ad bonum.* Et l. *de perfect. justitiæ* » *Parum illud esse ad non peccandum, nisi sanetur gratia Dei*. Saltem ergo ad bonum sine gratia aliquid valet. 3. Ex Conc. Trid. Sess. vi. can. 5. *Si quis dixerit, liberum arbitrium post Adæ peccatum amissum et extinctum esse ... anathema sit.* Unde August. ad Bonif. c. 2. *Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?* Liberum igitur arbitrium cum solo generali concursu, sive cum assuetis naturæ auxiliis ad quosdam saltem bonos actus faciliores valet.

XLIII. Nec reponant Noris et Vasquez, liberum arbitrium habere potestatem ad bonum inchoatam, quæ a gratia compleatur; hæc enim responsio ægrè cum Decretis Ecclesiæ cohæret, præcipuè cum damnatæ sint illæ Quesnelli propp. 39. et 40. « Voluntas quam gratia non prævenit . . . est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum » Sine gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem ». Sed opponunt 1. illud Jo. v. *Sine me nihil potestis facere*. 2. Affirmare Augustinum in eo situm fuisse Pelagii errorem, quod vellet, bonum propriis viribus peragi posse. 3. Ait ipse *De Nat. et Gr.* c. 6. « Ex vitiis naturæ, non ex conditionibus naturæ esse quandam peccandi necessitatem » 4. Epist. 106. inquit « Sine gratia nos dicimus, ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere ». Sed his non difficulter respondetur. Nam ad 1. Cum ait Christus: *Sine me nihil potestis facere*: notum est id dixisse in ordine ad vitam æternam, at non de bono in ordine naturali, quod tamen et ipsum meritò in Deum ut naturæ Auctorem refundi potest. Ad 2. Pelagius erronee docebat, bonum ad vitam æternam conducens, legemque universam solis naturæ viribus impleri posse; at ejus error non in eo positus erat, quod homo suis viribus in naturæ ordine nihil boni peragere posset. Ad 3. Ex vitiis naturæ quandam esse peccandi necessitatem vagam et indeterminatam; ut homo lapsus omnia peccata collectivè sumpta sine speciali gratia vitare non possit; non verò quasi nihil prorsus boni in naturali ordine queat efficere, ac necessitate in singulis actibus adigatur. Ad 4. verò: Liberum arbitrium sine gratia non valet, ut quis vivat sine omni peccato, sive ut quis nunquam peccet, ut vole-

bat Pelagius; non tamen Augustinus docet, nihil ad aliquod peccatum vitandum valere, vel ad opus aliquod bonum agendum; qui S. Doctoris scopus erat. Valet igitur ad actus quosdam bonos eliciendos, licet ut plurimum a rectitudine deficiat, ut luctuosa docet experientia.

XLIV. Quare statuitur Ill. duce S. Thoma ac Theologis præstantioribus, quod in præsenti statu solis naturæ viribus omnia et singula Legis naturalis præcepta homo implere non possit, sed tantummodo faciliora: ubi non de supernaturalibus hic sermo est, nec de naturalibus supernaturali modo implendis; at inquiritur, utrum tota naturalis lex sine gratia observari queat; atque asserimus, hominem non modo in impotentia morali esse sive in summa difficultate Legem universam implendi, sed insuper in impotentia physica, ut vires non habeat relativè sufficientes, quibus obstacula superare queat: Quod 1. ostenditur, quia nequit homo legis naturalis mandatum implere de dilectione Dei super omnia, ut infra demonstratur, solis naturæ viribus. 2. Sapientiæ VIII. habetur: *Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det . . . adii Dominum et deprecatus sum*. Modo præceptum de continentia servanda ad naturalem legem pertinet; Sine gratia igitur impleri nequit. 3. Juxta veteres pelagianorum error fuisse videtur non modo sine gratia posse impleri præcepta in ordine ad vitam æternam; sed naturalem quoque legem universam in se et quantum ad substantiam quod ob multitudinem et difficultatem præceptorum, et ob ingruentes tentationes homo efficere nequit; nam C. Trid. Sess. VI. Cap. 1. de Justif. liberum arbitrium debilitatum esse affirmat, et S. Thom. 1. 2. q. 109. a. 2.

comparat illud infirmo, qui licet possit aliquod spatium percurrere, nequit tamen moveri motu hominis sani nisi auxilio medicinæ sanetur. Cum ergo Scripturæ dicunt, mandata homines servare posse, ut Deut. xxx. *Mandatum quod ego præcipio tibi, non supra te est, nec procul positum*. Eccli. c. xv. 16. *Si volueris mandata servare, conservabunt te*. Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt*: Hæc et similia vel de aliquibus facilioribus præceptis sunt accipienda, vel de iis implendis cum Dei auxilio, quod certe in necessariis non deest. Dicendum quippe cum Hieronymo est: Sic nostrum liberum esse arbitrium, ut dicamus nos semper indigere Dei auxilio: quæ autem per amicos possumus, ajebat Aristoteles, aliquo modo per nos possumus. Quod si hæc præcepta naturalia vocantur, id est, quia naturali lumine cognoscuntur; non verò quod possint modo semper ab hominibus et in omnibus circumstantiis impleri.

XLV. Statuitur IV. Quod sine Dei gratia in præsenti naturæ lapsæ statu nequeat Deus super omnia diligi, neque tantùm ut Auctor naturæ est. Nam duce S. Thoma id universim docent Theologi, quod 1. cohæret auctoritati S. August. Epist. 107. ubi ait: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus*: Et alibi: *Nec diligere Deum possumus nisi in Spiritu Sancto*. Hinc Arausicanum Conc. Can. ult. *Prorsus Donum Dei est, Deum diligere*. Ubi PP. cum generatim loquantur, sentiunt, Deum diligere etiam ut naturæ Auctorem, Dei ipsius donum esse. 2. Id ratione fulcitur: Nam iste amoris actus omnium est perfectissimus, quo homo paratus est

ad Deum omnibus anteponendum et ad omnia superanda quæ ab amore Dei deterrere possent, ut hic actus omnem inordinatum affectum excludat: Est ergo actus difficillimus, qui totius legis naturæ observantiam complectitur, ut nequeat sine gratia elici. Quidam huic prop. opponunt S. Thomam 1. 2. q. 109. a. 3. dicentem, quod « Natura diligit Deum super omnia prout est principium et finis naturalis boni » Sed hi abutuntur ejus auctoritate; nam id affirmat de natura sana et integra, non de lapsa natura; hinc ibidem docet: *Quod homo in statu naturæ integræ non indigeat dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia; sed in statu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam sanantis*. Nec refert, quod homo naturæ viribus possit cognoscere Deum summè amandum; non enim inde sequitur, ut ob ingruentes difficultates id etiam possit efficere. Non refert quoque, posse hominem propriam opinionem, parentes, amicos, cives ita diligere, ut quidam pro his se devoverint; nam facilius est diligere seipsum et creaturas quam Deum, cum illæ nos magis afficiant, sintque nostris affectibus magis proportionatæ, atque in his propriam gloriam aut nos ipsos quæramus. Hinc ille Dei amor non nisi in natura integra haberi poterat, ut inde naturalis dicatur.

XLVI. Statuitur V. Quod homo lapsus solis naturæ viribus leves dumtaxat tentationes, at minimè graves superare possit. Non hìc quærimus, an tentationes vinci possint modo utili ad salutem, quod fieri sine gratia non posse, certum est: ut neque de modo quærimus, quo una tentatio alteri cedendo vinceretur; verum de victoria

quærimus, qua motivo honesto absque merito et absque peccato quis tentationi superior fieret. Itaque prop. ostenditur. 1. Ex Scripturis, nam Psal. 17. habetur: *In Te eripiar a tentatione*. Sap. VIII. *Nemo potest esse continens, nisi Deus det*. Matth. XVI. petimus: *Et ne nos inducas in tentationem*. Et c. XXVI. *Orate ut non intretis in tentationem*. 1. Cor 10. *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis* etc. Sunt ergo tentationes, quibus resistere sine Dei auxilio nequimus. 2. S. August. Serm. XIII. ait: *Si Deus nos non adjuvet, non dico vincere, sed nec pugnare poterimus*. Leves tamen tentationes juxta communem Theologorum sententiam naturæ viribus vinci poterunt; cum homo libero arbitrio quamvis debilitato polleat, bonumque aliquod morale in naturæ ordine peragere queat, ut vidimus; quod non nisi aliquam superando tentationem vix evenire posset. Inde verò ut Corollarium descendit: Hominem sine gratia peccata omnia lethalia vitare non posse; quod potiori jure de venialibus dicendum est. Tamen cum ordinariis gratiæ auxiliis homo lapsus omnia venialia distributivè sumpta vitare potest; alioquin peccati rationem non haberent, cum nemo peccet in eo, quod vitare non potest.

XLVII. Statuitur VI. Quod homo etiam justus cum ordinariis gratiæ auxiliis omnia et singula venialia peccata per totam vitam, aut per diuturnum tempus vitare non possit; quod de propriè dicta impotentia intelligendum est. Nam 1. id Scripturæ testantur, ut Paralip. II. c. 6. *Non est homo, qui non peccet*. Eccl. VII. *Non est justus in terra, qui faciat bonum et non peccet*; quod de venialibus dici, apertum est. Prov. X. *Quis po-*

test dicere, purus sum a peccato? Et c. 24. *Septies cadet justus*, id est sæpissime. 1. Jo. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*. Quare non tantum humilitatis causa, ut pelagiani volebant, sed revera justi peccato se inquinatos profiteri debent. 2. Trid. Conc. sess. VI. can. 23. *Si quis dixerit, hominem semel justificatum posse in tota vita peccata omnia etiam venialia devitare, nisi speciali Dei privilegio quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit*. Hinc sequitur, esse in homine vagam et indeterminatam quandam peccandi necessitatem, quæ spectet leviora collectivè sumpta, non verò determinatam, quæ in hoc vel illud veniale cadat; Et ideo non datur præceptum de venialibus omnibus collectivè vitandis; sed cum homo quodlibet veniale seorsim sumptum devitare possit, reus proinde levis culpæ censetur: sicut miles strenuus quemlibet adversarium superare potest, at non exercitum totum simul; ut a distributivo ad collectivum non sit illatio inferenda. Itaque ex dictis sequitur, Justum cum speciali privilegio omnia peccata etiam leviora per totum vitæ cursum declinare posse; quod privilegium insigne soli B. V. Mariæ concessum fuisse tenendum est, ut innuimus. Hinc August. de Nat. et Gr. c. 36. habet: *Excepta sola Virgine Dei Maria de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem*: Id PP. passim affirmant, et in VI. Synodo Oecum. definitum esse videtur. Observat verò August. eos damnari non posse, qui privilegium hoc aliis quoque fuisse concessum diceret.

XLVIII. Statuitur VII. Quod homo propriis viribus

se ad gratiam præparare non possit; ut cum S. Thoma (ibid. ar. 6.) consentiunt Theologi: ut enim Jo. vi. ait Christus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Et Rom. xi. *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Verum ut plures Theologi sentiunt, posse hominem modo aliquo se disponere removendo prohibentia, ut ajunt, nihil dicere vetat, dummodo addatur. 1. Deum gratiam concedere aliquando iis etiam, qui ne remotè quidem se ad gratiam disponunt. 2. Nullo pacto, nullaque certa lege Deum teneri ad gratiam homini dandam ita remotè dispositis. Et hæc de prima gratia dicta sunt et antequam præcipuè sanctificantem gratiam homo acceperit. Nam hic postremo quæstio exoritur de gratiæ necessitate ad finalem perseverantiam obtinendam. Hæc autem alia est purè passiva, quæ ad infantes et adultos pertinet, qui statim, post justificationem decedunt: alia est activa et efficiens, qua quis in bonis operibus ad finem usque perseverat. De hac posteriori quæritur, an justi ad perseverandum speciali auxilio indigeant ab ordinariis distincto, quæ instante præcepto nunquam eis denegantur?

XLIX. Statuitur itaque VIII. Quod justis omnibus detur gratia verè sufficiens, qua mediatè saltem per orationem auxilium uberius impetrando perseverare possunt usque in finem. Hoc fidei dogma sequentibus momentis ostenditur. Et 1. habetur 1. Cor. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione preventum, ut possitis sustinere*. At qui Deo adjuvante superare tentationes queunt, hi etiam possunt profecto perseve-

rare. 2. Concilium Arausic. II. can. 25. habet: *Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint ac debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*. 3. S. August. De Corrept. et Gr. c. 7. hæc de justo habet: *O homo, in eo quod audieras et tenueras, in eo perseverares, si velles*: Ubi gratiam verè sufficientem apertè designat S. Doctor. Lib. quoque de dono Persev. c. 6. hæc de Perseverantia habet: *Hoc Dei donum suppliciter emereri potest.* Tridentinum itaque Sess. vi. Cap 13. docet: *Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle et perficere*. Auxilium autem istud esse a Gratia habituali distinctum præter ea quæ de necessitate actualis gratiæ dicta sunt, declarat Trid. ibid. can. 22. *Si quis dixerit, justificatum sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit*. Sed hoc Auxilium quod speciale, et magnum perseverantiæ Donum nuncupatur, an ab ordinariis et actualibus auxiliis distinctum sit, quæ justis conferuntur ad præcepta, cum occurrunt, observanda, ut Vega censet: an sit auxilium uberius: an sit in providentia speciali collocandum; vel potius in collectione auxiliorum quibus infallibiliter usque in finem benè quis operatur: an sit auxilium efficax, ut volunt alii; an vero non sit, ut alii sentiunt; Theologi disputant inter se, quod fusius disceptare non vacat, dummodo detur, *Auxilium illud* (saltem de congruo) *suppliciter justos mereri posse*; ut S. Augustinus docet.

CAPUT VII.

QUOD GRATIAM DEUS GRATUITÒ LARGIATUR.

L. Gratiam hominibus Deum Opt. M. gratis impertire; jam non obscurè innuimus; peculiari tamen loco argumentum hoc pertractandum est, quò penitus eliminentur pelagianorum errores,(qui gratiam contendebant secundum merita nostra dari, aut aliquid semper ex nostris viribus præcedere elicitum, quo gratia impetraretur;) et catholica simul de hac re sententia innotescat. Et Gratiam quidem liberale esse Dei donum, ex ipsa nominis etymologia elucet. At cum dicitur, eam semper esse gratuitam, id potest diversimode intelligi. Nam 1. non id significat, gratiam nunquam esse remunerationem posse boni usus alterius præcedentis gratiæ; cum Evangelium doceat, Deum remunerare fidelitatem, ut Matth. 25. atque Augustinus affirmet, *Gratiam augmentum mereri, neque Deum quemquam deserere, nisi prius deseratur*. Hinc ea *Gratia pro gratia* dicitur. 2. Cum dicimus, ob rectum gratiæ usum, hominem alias mereri gratias efficaces, non de merito de condigno sermo est, at eas de congruo atque ex Dei bonitate dicimus promereri; alioquin justus nunquam foret peccaturus, quod est contra Trid. doctrinam Sess. VI. cap. 13. et can. 23. Tertio modo gratia purè gratuita dicitur, quod merces non sit naturalium hominis dispositionum, sive conatuum, quos suis viribus ad eam promerendam eliciat, ut pelagiani ajebant; atque hoc sensu gratuita prorsus defendenda est.

LI. Quæri autem solet, an actus naturales aliquo modo conducere ad gratiam queant; qui cum honesti sint, vel indifferentes aut inhonesti, hos posteriores certum est ad gratiam conducere nullatenus posse. Actus autem honesti multipliciter considerantur. 1. Itaque Actus naturaliter honestos *negativè*, seu per remotionem impedimentorum, *aliquatenus* ad gratiam conducere, certum est apud omnes; nam peccatum non est necessarius obex, cum non raró sua gratia Deus etiam peccantes præveniat. 2. Hos actus *physicè*, seu quadam sua virtute, ad gratiam in statu naturæ innocentis conducere potuisse, implicitè Bajus docuit, qui gratiam in illo statu esse voluit de exigentia naturæ, quem jam refutavimus Num. xx. 3. Eosdem actus *moraliter*, seu per modum meriti, nunc etiam ad Gratiam conducere pelagiani docuerunt. In alia tamen Providentia, seu statu, conducere posse sententia fuit Cajetani, Medinæ, &c. 4. Actus hujusmodi ad gratiam posse conducere *per modum dispositionis positivæ moralis*, seu aptitudinis, ut quis capax sit muneris ad quod tamen jus nullum habeat; ac potiori jure *per modum impetrationis*, ut preces sint aptæ ad aliquid liberaliter obtinendum, quidam Theologi veteres docuerunt, ut Durandus, et Gabriel. 5. Tandem eosdem actus honestos naturales posse conducere ad gratiam per *modum passivæ occasionis*, seu qui habeant quandam aptitudinem ex libera tantum voluntate concedentis: vel *per modum pacti* inter Deum et creaturam initi, ut ad horum actuum positionem Deus gratiam largiatur; non pauci ex recentioribus inter catholicos docuere. Hisce declaratis

LII. Statuendum generatim est: Nullo ex recensitis modis posse actus naturales honestos ad Gratiam conducere, ita ut sit hæc omnino gratuita censenda. Nam 1. ad Rom. IV. v. 4. ait Apostolus: *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*. Et c. XI. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia*. Quæ ratio penitus tolleretur, si quædam hominis merita aut dispositiones gratiam prævenirent, aut impetrarent. Hinc rursus ait Apost. 2 ad Tim. 1. 9. *Deus nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam*... Gratia igitur ab illis recensitis modis minimè pendet, sed prorsus gratuita est. 2. Revera ordo naturæ et ordo Gratiæ diversi omnino sunt; actus igitur naturales licet honesti nullo modo ad gratiam conducere queunt; qua enim via ab uno ordine ad alium gradum facient? Multo itaque minus id physicè præstare possent, aut per meritum de condigno, vel de congruo, cum merita nulla ante gratiam esse queant: cum, ut ait August. Ep. ad Sixtum, *omne meritum nostrum non in nobis faciat, nisi Gratia, et cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet, quàm merita sua*. Neque hi actus conducunt ad gratiam per modum moralis dispositionis, definiente Tridentino Sess. VI. cap. 5: Quod justificationis exordium non sit ex nobis, sed per excitantem ac adjuvantem gratiam disponamur. Hinc etiam colligitur ex dictis, neque per modum impetrationis hos actus ad gratiam conducere, dicente Apostolo Rom. 8. *Quid oremus sicut oportet, nescimus*,

sed ipse Spiritus postulat pro nobis (nempe postulare nos facit) *gemitibus inenarrabilibus*. Demum ob easdem rationes neque *per modum conditionis activæ*, ut ajunt, hi actus ad obtinendam gratiam conferre possunt, cum nullam habeant cum gratia connexionem, nec eos Deus ad gratiam dandam unquam requisiverit. Itaque Conc. Arausicanum II. can. 6. habet: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus; desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus ... resistit Apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti.* Quare S. Thomas concludit 1. 2. q. 109. a. 6. *Patet quod homo non potest se præparare ad lumen gratiæ suscipiendum, nisi per auxilium gratuitum Dei interius moventis.*

LIII. Utrum verò actus naturales honesti ad gratiam conducere queant *per modum passivæ occasionis, vel per modum pacti inter Deum et creaturam initi*, ex solutione pendebit sequentis difficultatis. Opponunt enim patroni opinionum, quas jam rejecimus, singuli pro sui systematis fulcimento celebre illud scholarum effatum, quod nempe, *facienti quantum in se est Deus non denegat gratiam*: Hoc roboratur auctoritate S. Thomæ *De Veritate* Q. XIV. art. 11. ubi ait « Si quis in silvis vel inter bruta animalia enutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissimè est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret sicut misit Petrum ad Cornelium » Deinde hæc adjicit.

« Si nos fecerimus quod in nobis est, ut scilicet ductum naturalis rationis sequamur, Deus nobis non deficiet ab eo, quod est nobis necessarium » Et l. 3. cont. Gentes c. 159 scribit: « Deus enim quantum est in se, paratus est omnibus gratiam dare... sicut sole mundum illuminante in culpa imputatur ei qui oculos claudit »: Demum 1. 2. Q. 114. a. 3. ait « Opus meritorium... si consideretur secundum substantiam et secundum quod procedit ex libero arbitrio, sic non potest ibi esse condignitas propter maximam inæqualitatem; sed est ibi congruitas propter quandam æqualitatem proportionis. Videtur enim congruum, ut homini operanti secundum suam virtutem, Deus recompenset secundum excellentiam suæ virtutis. Si autem loquamur de opere meritorio secundum quod procedit ex gratia Spiritus Sancti, sic est meritorium vitæ æternæ de condigno. »

LIV. Cui difficultati respondendum est, Scholasticos Theologos, ut etiam S. Thomam, de homine esse intelligendos faciente quod in se est cum Gratiæ auxilio, non solis verò naturæ viribus; atque hunc esse S. Doctoris sensum liquet 1. ex Cornelii exemplo, quem constat non fuisse omni gratia et fide destitutum; ait enim S. D. 2. 2. q. 10. a. 4. *De Cornelio sciendum est, quod infidelis non erat, alioquin ejus operatio non fuisset accepta Deo, cui sine fide nullus placere potest: habebat autem fidem implicitam, nondum manifesta Evangelii veritate*. Id confirmat 1. 2. q. 109. A. 6. ad 2. *Dicendum quod nihil homo potest facere nisi a Deo moveatur, secundum illud Joan.* 15. Sine me nihil potestis facere: *et ideo cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate li-*

beri arbitrii secundum quod est motus a Deo. Et Comm. in Epist. ad Rom. lect. 3. in cap. 10. scribit: *Si qui fecissent quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam providisset mittendo eis prædicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio; sed tamen hoc ipsum, quod aliqui faciunt quod in se est, convertendo scilicet se ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum*. Nullum igitur dubium superesse potest, quin S. Thomas id fieri intelligat cum adjuvante Gratia, ut novam tunc Deus gratiæ accessionem non deneget: *Prævenit ergo et fidem gratia, quæ et ipsis infidelibus datur,* ut ait August. De Dono Persev. c. 16. Quare ab Alex. VIII. illa propositio damnata est « *Pagani*, Judæi, hæretici aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum» Quod verò de opere meritorio ajebat S. Thom. ibi liberum arbitrium sumit per exclusionem gratiæ habitualis quæ fons est et origo meriti de condigno: at non per exclusionem Actualis gratiæ, sine qua neque de congruo meritum esse potest. Hinc ait 1. p. q. 62. a. 2. *Tertia conversio est, per quam aliquis præparat se ad gratiam habendam, et ad hanc non exigitur aliquis habitualis gratia, sed operatio Dei ad se animam convertentis secundum illud Threni ult.* Converte nos Domine ad Te, et convertemur.

LV. Præfatum itaque axioma est exponendum, quod Deus facienti quantum in se est per gratiæ vires gratiam conferat uberiorem: ut generatim omnes consentiunt. Sunt tamen Theologi orthodoxi, qui duplicem sensum illius axiomatis tradunt. Alii existimant, in statu præsentis elevationis hominis ad supernaturalem finem niti

non posse naturæ viribus ad actum naturalem honestum quin Deus præsto sit supernaturali auxilio; ut hinc actus etiam supernaturalis ac salutaris evadat, sicut per suum concursum semper præsto est nostro libero arbitrio. Hinc deducunt, peccatores et etiam gentiles, quoties opera honesta elicere conentur, eliciant revera hæc opera etiam supernaturali modo, cum non careant fide inchoata per quam illuminat Deus omnes homines; quæ opinio videtur Car. Norisii, et Vasquezii. Quod si ita intelligunt, ut homo eo in casu possit etiam eo auxilio non uti, ac ita exercere actum dumtaxat naturaliter bonum; non censetur tunc ea opinio ut erronea rejicienda. Secus verò si contenderent, non posse hominem benè naturaliter operari, quin etiam supernaturaliter benè operetur; tunc enim tollerent possibilitatem operum honestorum pure naturalium, quæ communiter adstruuntur.

LVI. Alii demum axioma illud ita declarant, ut, quod facienti quantum in se est viribus naturæ, Deus concomitanter gratiam concedat suam; quod cum esse nequeat ullis ex modis supra rejectis, ajunt, hæc opera se habere ad gratiam ut occasiones mere acceptas et passivas; ut legem naturalem observanti Deus ex mera sua liberalitate, vel etiam ex quodam liberali pacto cum Christo vel cum humana natura inito, conferat infallibiliter supernaturalia auxilia ad salutares operationes. Huic opinioni suffragati sunt Lud. Molina, Leon. Lessius, Vega, aliique recentiores, olim verò Albertus Magnus. Molina *in Concordia* Q. 14. a. 13. disp. 10. « Quotiescumque liberum arbitrium ex suis viribus conatur . . . a Deo conferri gratiam prævenientem, auxiliave quibus id faciat, ut oportet ad salutem. Non qui-

dem quasi eo conatu dignus efficiatur talibus auxiliis, ullave ratione ea promereatur; sed quoniam id obtinuit nobis Christus ob sua merita; atque inter leges quas tam ipse quam Pater æternus statuerunt ... una eaque maxime rationi consentanea fuit, ut quoties ex nostris viribus conaremur facere quod in nobis est, præsto in nobis essent auxilia gratiæ ... ut ea ratione dum essemus in via, semper in manu liberi arbitrii posita esset salus nostra, per nosque ipsos staret, quod ad Deum non converteremur ... Nam per concursum generalem præsto est Deus libero arbitrio ad naturalia ... At verò libero arbitrio præsto adest per auxilium gratiæ saltem sufficiens ob merita Christi, eamque legem subveniendi hominibus cum Patre constituit, qui dedit eis potestatem filios Dei fieri » Huic sententiæ favet Jo. Bapt. Gener Theologiæ Tomo v. pag. 72 (Romæ impresso a. 1775) ubi ait « Id enim sibi vult adagium, quod facienti quantum in se est naturæ viribus, summus naturæ ac supernaturæ Auctor vel ex lege sibi præstituta, vel ex pacto inito cum Christo, vel sua bonitate ac misericordia motus, non autem ex merito ita facientis, hujus adnuit votis, quin gratiam necessariam ad salutem deneget » Clerus gallicanus an. 1700. Pactum hoc censura notavit uti commentitium, temerarium, erroneum &c. quæ tamen censura Romæ renovata non est. Theologi quidam æmuli hanc sententiam semipelagianismi insimulare solebant. At ab hac nota temere eis inflicta illius patroni se facilè expediunt, eo quod semipelagiani docerent, bonos naturales actus ex se promereri primam gratiam, vel aliquo modo eam allicere: At in hoc systemate hæc opera sunt occasio tantùm merè passiva, nec ad gratiam

pro illis elargiendam ex justitia se Deus obligaverit: imo illud Augustini « Non posse assignari rationem cur uni Deus, non alteri det gratiam » hîc quoque locum habere; cum non eam deneget sic non benè operantibus. Hæc tamen sententia cum nullo solido fundamento fulciatur, ab eadem recedere satius est.

LVII. Pelagianos in eum errorem incidisse Eruditi existimant, ut responsum darent gentilibus; qui urgere solebant, quod si Christi Religio ad salutem necessaria esset, Deus nec illius adventum tandiu distulisset, nec in loco fere ignoto eum nasci et mirabilia facere sivisset. Quibus illi respondere posse sibi videbantur, id minime ad salutem necessarium fuisse, cum gentiles possent, recto naturalium virium usu æternam adipisci salutem. At non ita divinæ Gratiæ juribus derogando Patres respondebant; sed clamabant, divinam quidem erga homines semper eluxisse curam et sollicitudinem, verum potiorem et maximam, et ad quam cætera omnia Dei beneficia dirigebantur, Christi missionem fuisse. Ita Chrysostomus, Athanasius, aliique. Nam etiamsi Evangelii revelatio copiosior sit, ejus tamen doctrina et in Christum fides tam antiqua est quam Orbis; cum eam non modo primi nationum parentes edocti fuerint, sed et alii sæpe decursu temporum, quam si homines sectari voluissent ac supernis adhærere auxiliis, posteri omnes ea pietatis præsidia habuissent, quæ hebræi habuerant, cum ad salutem assequendam tunc non fuisset opus peculiarem hebræorum legem profiteri. Cur autem non ita cum cæteris se Deus gesserit ut cum hæbreis, id esset curiose nimis in arcana divina irrepere. Cum itaque et Revelatio facta fuerit, et Gratiæ auxilia non lon-

gè sint ab unoquoque hominum, nemo de providentia Dei conqueri potest.

LVIII. Opponunt pelagianismi patroni: Dei Sapientia postulat, ut homini facienti naturæ viribus quantum in se est, gratiam largiatur; nam rectius est, ut gratia iis conferatur qui honeste agunt, quàm iis qui vitiis indulgent: At nonnulli suis viribus honestè vitam ducunt; æquum est igitur, ut his naturæ conatibus gratia conferatur. Alioquin temperantes meritò conqueri possent, quod sibi gratia denegetur, dum alteri vitiis dedito confertur. Cum tamen nemo de gratiæ defectu conqueri jure debeat; necessum est, ut ea naturæ conatibus detur. Quibus ex jam prælibatis non difficilis responsio est. Nam 1. Dei Sapientia postulat potius, ut a seipsa, non a creatis causis agendi motiva desumat, quæ omnis rationis fons est et origo. Non igitur extrinsecis motivis indiget in donorum distributione. 2. Qui ajunt itaque, rectius Dei sapientiam honestè agentibus debere gratiam largiri; eam a creatis causis dependentem faciunt, a quibus determinari non posset. Idque eo magis, quod naturalia merita proportionem nullam cum gratiæ donis habere queant. Non tamen deducere inde fas est, naturales virtutes nullo esse in pretio habendas; nam qui illis exornantur, minorem sanè obicem divinis opponunt auxiliis, cum dignatur Deus illorum corda movere. 3. Cum homines nihil juris ad gratiam habeant, quæ gratuitum Dei donum est; hinc nemo jure conqueri posset de ipsius distributione; potissimum cum pro summa sua sapientia et pietate nemini in necessariis desit, sed divitias gratiæ suæ opportune in omnes effundat, ut infra patebit. Verum naturales virtutes licet mereri

nequeant cælestia dona, mercedem tamen queunt consequi naturalem. Nam ordinavit Deus, ut quælibet virtus præmium sibi conveniens consequeretur. Hinc laudantur in Scripturis et præmio afficiuntur gentilium virtutes, et ex historia constat, gentes illas, quæ moralibus virtutibus dabant operam, non exiguis naturæ bonis cumulatas fuisse. Præter hæc, conscientiæ tranquillitas, atque immunitas a malis plurimis, quibus gravantur, qui sectantur vitia, non parva merces est, quæ bonis rependitur naturæ operibus; ut nemo jure de gratiarum distributione conqueri possit.

LIX. Rursus ajunt: subsidium indigenti præstitum gratuitum est, licet lacrymis, precibusque obtineatur; eodem modo igitur gratia non desinit esse liberale Dei donum, etiamsi humanis conatibus concedatur. At posita paritas non consistit. Quamquam enim subsidium quo juvatur indigens donum gratuitum diceretur, tamen inter beneficium illud et preces egeni aliqua adest affinitas et proportio; nam ambo intra naturalem ordinem continentur. E contra naturæ conatus et gratia infinito disjunguntur intervallo. Sed nec iste conatus ad gratiam consequendam tendit, nec optat supernaturale auxilium, ad quod gratia ipsa necessariò requiritur, sed intra fines boni naturalis concluditur. Tandem non gratuita prorsus beneficia sunt, quæ pauperum indigentiis tribuuntur, cum Religio et natura ipsa divitibus legem imponant egenos juvandi. At gratia a sola Dei munificentia oritur. Cur ergo, instant, præcepit Christus Apostolis, ut urbem aliquam ingressi interrogarent, quis audiendi Evangelii dignus esset? Matthæi x. *Interrogate, quis in ea dignus sit.* Ubi prius meritum

supponit quam gratiam largiatur. Sed respondemus: eo loci Christum non præcepisse Apostolis, ut Evangelium dignis prædicarent, sed ut non hospitarentur nisi apud dignos, id est, apud bonæ famæ cives et moribus ornatos; ne si apud infames diverterent, Evangelium male audiret. Verum tunc Apostolis dixerat: *In viam gentium ne abieritis*. De judæis itaque sermo erat, qui gratia ornati esse poterant.

CAPUT VIII.

DE GRATIA SUFFICIENTI.

LX. Cum hoc maximum ac pretiosum supernæ gratiæ donum a divina largitate gratis concessum, in præsenti providentia qua ad supernaturalem finem homines ordinantur, sit necessarium, ut vidimus, tum ad finem hunc attingendum, tum ad media capessenda, quæ ad hunc finem ducunt; hinc fit, ut hæc Gratia, quam ob primi hominis culpam amiseramus, a divina Clementia rursus ob Christi Redemptoris merita nobis reddatur. Ut autem divinæ pietatis œconomiam satis intelligamus de illa cælesti gratia, quam sufficientem Theologi vocant, primitus disserendum est. Ea itaque Gratia sufficiens est, quæ vi sui nominis *Sufficit ad opus bonum:* et prout ab *efficaci gratia* distingui solet, *sufficiens ea dicitur quæ dat posse operari: Efficax verò qua quis certissime bonum operatur*.

LXI. Verum non uno in sensu ab omnibus recepta est: Imo Lutherus et Calvinus gratiam hanc sufficientem ita respuerunt, ut in præsenti statu solam agnoverint

gratiam, cui reluctari homo non possit. Insigniter erravit quoque Jansenius, cui si credamus, S. Augustinus gratiam omnem purè sufficientem sustulisset. At longe alia est catholicorum mens, inter quos? 1. Thomistæ eam sufficientem vocant, cum qua possit homo hic et nunc bene operari, nunquam tamen id fiet, nisi novum ex parte Dei accesserit efficax et physicè præmovens auxilium: quare eam ita definiunt « Auxilium, quod ut homo credat et operetur alio indiget efficaci auxilio ». 2. Augustinenses idem sentiunt, excepto tantum, quod gratiam ex se ipsa moraliter efficacem in locum physicæ præmotionis substituant. 3. Alii illius naturam in eo constituunt, quod nonnunquam in facilioribus suum consequatur effectum; ad ardua vero pietatis opera gratia per se efficax requiratur, ut in his cum Augustinensibus conveniant, in facilibus autem cum Molinistis et Congruistis. 4. Suares, cum efficaciam gratiæ desumat a congruitate, sufficientem appellat, quæ congrua non est, seu variis personæ circumstantiis non attemperata; ut idcirco suum unsquam obtineat effectum tametsi expeditam ad bonum conferat potestatem. 5. Censet Lud. Molina, eam gratiam sufficientem esse, qua homo ad sui arbitrii nutum absque ullo uberiori auxilio utitur vel non utitur; quare eam definit « Auxilium Dei præter quod ut homo credat et operetur nullo alio indiget auxilio » Ut autem clare innotescat quænam vera doctrina sit; notandum 1. est: In Jansenii systemate duplicem dari potentiam, *absolutam* nempe, quæ gratiæ competat præcisis subjecti cui conceditur circumstantiis, et *relativam*, quæ gratiæ conveniat habito ad circumstantias respectu et ad prementem hic et nunc concupi-

scentiam. 2 Potentiam relativam statui a Jansenio vel proximam vel remotam: proxima seu immediata ea est per quam immediate possumus tentationem ex. g. superare: remota vero per quam id possumus mediante alio, nempe oratione, quæ gratia esse supponitur.

LXII. Statuendum itaque 1. est: Nomine Gratiæ sufficientis eam esse ex Fide Ecclesiæ intelligendam, quæ veram expeditam et relativam ad prementem hîc et nunc tentationem et concupiscentiæ gradum superandum, et ad opus bonum peragendum potentiam confert saltem remotam seu mediatam. Hoc enim constat 1 ex omnibus momentis, quibus hujus gratiæ sufficientis existentiam demonstraturi sumus, unde planum fiet dari interiorem gratiam, quæ criminosa voluntatis resistentia effectu suo frustretur; eamque veram et relativam potentiam voluntati conferre. 2. Ex damnata illa hæretica in sensu Jansenii prop. « Aliqua Dei præcepta hominibus justis esse impossibilia etc. » Nam hîc non negat vi gratiæ parvæ absolutam potentiam, sed tantum relativam. 3. Ex damnata secunda ejusdem prop. « Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur » ubi de potentia relativa pariter sermo est. 4. Ex eo S. Thomæ principio a catholicis omnibus admisso: *Minima Gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ et vitare omne peccatum; ac mereri vitam æternam* (3. p. q. 62. a. 6): Habet etiam q. 70. a. 4. *Minima caritas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri et argenti*. Quod paradoxum Jansenistis videtur. Hoc autem invictè ostendit relativam gratiæ potentiam. Nec est quod opponant S. August. De gr. et lib. arb. c. 17. scribentem « Qui vult facere Dei mandatum et non po-

test, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam et invalidam : poterit autem cum magnam habuerit et robustam « Loquitur enim de potentia proxima, non de remota ac mediata; qua potest voluntas semper uberius postulare auxilium. Hinc ait ad Simplic. q. 1. *Hoc restat in ista mortali vita libero arbitrio, non ut impleat homo justitiam cum voluerit; sed ut se supplici pietate convertat ad Deum, cujus dono eam possit implere*. Cum autem diximus hanc gratiam conferre potentiam ad vincendum concupiscentiæ gradum, non intelligimus dari a gratia æquilibrium *propensionis, inclinationis, et facilitatis;* ut pelagiani ajebant : nec virium et graduum æquilibrium in sensu Jansenii; sed conferri æquilibrium *potentiæ* et *electionis*, quo voluntas sub motione Gratiæ vel concupiscentiæ activam retinet indifferentiam, per quam immunis a quacumque necessitate hinc inde se flectere potest; idque pertinere ad fidem ex eo evincitur, quod *ad merendum vel demerendum in præsenti statu necessaria sit immunitas a necessitate naturæ*.

LXIII. Hinc II. statuitur : Admittendam esse in præsenti statu naturæ lapsæ gratiam verè ac relativè sufficientem in sensu jam declarato, et juxta catholicum dogma, quod I. Ex Scripturis ostenditur; nam Isaiæ c. V. Sic Deus de perversis conqueritur : *Judicate inter me et vineam meam : quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, et non feci ei?... Et expectavi ut faceret judicium, et ecce iniquitas : et justitiam, et ecce clamor*. Ubi notandum 1. Deum gratias sufficientes illis judæis concessisse : *Quid est quod ultra debui facere*. 2. Cum iis opus bonum operari potuisse :

Expectavi ut faceret judicium. 3. iis gratiis usos non fuisse: *Et ecce iniquitas*. Ita generatim PP. exponunt. II. Matth. 25. ait Christus: *Jerusalem ... quoties volui congregare filios tuos ... et noluisti*. Sed hic velle congregare, inquit Hilarius, est per gratiam excitare ad conversionem. III. S. Stephanus Act. 7. ita judæos redarguit: *dura cervice ... vos semper Spiritui Sancto resistitis*. Quod est internis gratiæ motibus adversari; ei enim qui non sufficienter movet, resisti nequit. IV. Apoc. 3. ait Dominus: *Ecce sto ad ostium et pulso: si quis audierit vocem meam et aperuerit mihi januam intrabo ad illum ...* Vel hi ergo habent auxilium ad aperiundum sufficiens, vel non: Si habent, ergo hæc dantur auxilia: Quod si non habeant, cur pulsat? neque enim ignorat, eos aperire non posse. Rectè Ambr. Si quis ergo non aperuerit, nunquid non ingredientis, et non magis non aperientis est culpa? V. Alia plura his similia habentur, ut Prov. 2. *Vocavi, et renuistis*. Joan. 5. ait Dominus: *Hæc dico ut salvi sitis, et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis*. Et Apost. 2. Cor. 6. *Hortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Quæ manifeste demonstrant, præsto esse homini gratiam ad benè operandum, cui tamen voluntas resistat. Hanc verò esse internam nemo negaverit. Injustæ autem essent querelæ, vanæ adhortationes, comminationes inopportunæ, nisi vere sufficientes supponantur vires in his qui tam acriter exprobrantur. Quis cæcum reprehendat, quod non legerit? Quis homini dicit, ambula, quem novit ambulare non posse? Non ne tunc irrideret? Hæc igitur Dei cum hominibus providentia manifesto significat, posse nos rectè operari, sufficientibus esse au-

xiliis instructos: posse quoque gratiæ Dei resistere; neque esse efficacem nisi ex voluntatis nostræ consensu, quem vi extorquere, dignum non esset Dei majestate, ita ut suaviter tantum, et eum alliciendo exposcat. Hinc ea Tridentini doctrina Sess. vi. cap. 11. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis*. Quæ ex Augustino desumpta est De Nat. et Gr. c. 69: *Eo ipso, quo firmissime creditur, Deum justum et bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur et in facilibus quid agamus, et in difficilibus quid petamus*. Non igitur ex gratiæ defectu, sed ex culpabili resistentia contingit, quod gratia hæc multoties suum non assequatur effectum. Quare Alex. viii. an. 1690. hanc confixit prop. « Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est, sic ut meritò possimus petere: a gratia sufficiente libera nos Domine »

LXIV. Recensitam itaque prop. in vulgus effutiebant Jansenistæ hostes dolosi, idque ex malitia, aut erronea et falsa opinione ducti, quod hæc gratia infirma et impotens esset, ut vim proximam et veram potestatem non impertiret ad opus salutare efficiendum; et hinc inutilem, imo et perniciosam, quæ peccatis faciendis ac majori accersendæ damnationi inserviat, eam traducunt. Hinc Jansenius eam monstrum gratiæ appellabat, et Arnaldus gratiam diaboli dicebat, quamque vellet semper concedi (V. Cortes T. 2. p. 74.); quasi nunquam suum effectum obtineat, aut sortitura sit. At longè aberrant; non enim, juxta Ecclesiæ doctrinam, ea est gratiæ sufficientis natura quam sibi hostes confingunt; ac animad-

vertere renuunt, eandem esse gratiæ divinæ efficaciam sive illi homines obtemperent, sive parere recusent; ut non a gratiæ indole ac virtute, sed ab effectu sufficientis aut efficacis nomen mutuata sit: nam, ut vidimus, cum minima gratia homo quamcumque tentationem superare potest sive immediatè, sive mediatè per orationem, ut propterea Christus dicat Matth. 7. *Petite, et dabitur vobis*. Quare plures Theologi insignes, etiam inter eos qui a Molinæ systemate abhorrere videntur, ut Noris, Thomassinus, Tournely etc. existimant, sufficientem gratiam multoties per voluntatis consensum efficacem fieri; atque gratiam respectu unius mere sufficientem, efficacem esse non rarò respectu alterius, qui eidem adhæret. Hinc dicteria evanescunt a jansenistis conficta; nam si gratia hæc suum sæpe non sortitur effectum, id non virium defectu fit, imo contra Dei intentionem contingit; qui vult ac præcipit ut ea rectè utamur; sed creaturæ vitio oritur, ut effectu frustretur; ac propterea jure homines redarguuntur, quod ea benè, uti poterant, usi non sint.

LXV. Sed has adversariorum insectationes in sufficientem gratiam potiori jure in ipsos contorquere possumus; qui ut rationem reddant, cur Deus objurgaret judæos quod præcepta transgrederentur, ajunt, concessas ipsis fuisse parvas gratias, quæ velleitates tantum, at minime conversionem et actum bonum operari valerent quasque sufficientes appellare non diffitentur, eo quod in aliis circumstantiis edidissent effectum; sed tunc mandatorum observantiam impossibilem eis fuisse, et nihilominus damnatum iri. Qua blasphemia nihil divinæ æquitati injuriosius fingi potest. Nam immeritò reprehensi

fuissent, uti et immerito damnarentur, sicuti injuriâ increparetur infirmus, qui pondus non sublevaret, quod sanus posset attollere. Nec dicant, hominem cum sufficienti gratia gravius peccare, unde expediat eam non habere. Quo nihil insulsum magis dici potest. Nam ad peccandum homo sufficit sibi; Gratia verò adjuvat ut non peccet. Nec enim gratia in peccatum influit, sed peccatum oritur ex gratiæ abusu, uti oritur ex abusu liberi arbitrii. Non enim ex quo quis eo abutatur, ideo liberum arbitrium homini non fuerat tribuendum, per quod bonorum maximum acquirere sibi potest. Ita et de gratia dicendum. Denique nonne vult Deus omnes homines salvos fieri? Nonne id toties ipsemet Deus testatur? An non est id maxime ipsius bonitati ac sapientiæ conveniens? At hinc sequitur, omnibus gratias relativè sufficientes largitum fuisse, quibus adipisci salutem possent. Interea non omnes salvi fiunt. Adsunt ergo gratiæ verè sufficientes, quæ effectu hominum voluntate frustrantur.

LXVI. Plures tamen difficultates agglomerant adversarii, ac 1. illud ad Rom. 9. *Voluntati ejus, quis resistit?* Sed gratia ex Dei voluntate profluit, nunquam ergo ei resistitur. 2. Christum dixisse Jo. 6. *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Omnis ergo qui per gratiam vocatur, ad Deum venit, ut omnis gratia efficax sit: nam ut hîc ait August. *Si audiisset, et didicisset, venisset.* 3. Ajunt, Ecclesiam in suis precibus nunquam sufficientem gratiam postulare sed eam quæ dat velle et operari. Non ergo sufficiens tantum admittenda est. Quibus respondetur, et ad 1. Voluntati Dei absolutæ et efficaci neminem quidem resistere

posse; At ipsius voluntati antecedenti et conditionatæ sinit Deus juxta sapientiæ suæ leges, ut humana voluntas queat resistere. Est enim hæc Dei voluntas, ut homo sit liberi arbitrii, et ut liberè suæ gratiæ consentiat. Nonne Adam gratiam ad perseverandum habuit, quæ a Dei voluntate fluebat? Et tamen restitit Adam. Non repugnat ergo ut gratiæ a Dei voluntate fluenti resistatur. Ad 2. respondet S. Tho. Omnis qui audivit a Patre et didicit per gratiam cui consentit, infallibiliter utique venit ad Christum; non verò qui audivit et non consensit, ut etiam Augustinus interpretandus est. Verum inde sequeretur, nullas esse gratias parvas ac debiles, quas ut catholicis illudant adversarii admittunt. Ad 3. Ecclesiam generatim petere gratiam quæ nobis prodesse possit, et qua valeamus divina implere mandata ac revera impleamus. At nusquam ad modum respicit, quo gratia operetur; multoque minus irresistibilem gratiam a Tridentino damnatam admittit. Sed ajunt, voces *potentiæ absolutæ*, aut *gratiæ relativæ*, novas esse, ac veteribus ignotas, ut rejiciendæ sint. Cui reponimus, non esse cum ipsis de vocibus concertationem, at de re ipsa. Dent adversarii, eos qui divina mandata transcendunt, posse in iis circumstantiis ubi sunt, et secundum præsentes quas habent vires, illa adimplere, vel saltem petere gratiam posse qua valeant ea observare, ac superare obstacula; nec de vocibus erit inter nos ulla contentio. Expedit tamen aliquando, doctrinam veterem novis vocabulis ad hæreticorum fraudes revincendas explanare, et ad eorum aperiendas cavillationes; ut Ecclesia consuevit ad tricas resecandas hæreticorum, ut ipse Augustinus advertit.

LXVII. Revera Gratiæ necessitatem singulis hominibus ad præcepta implenda cum Catholica Ecclesia fateri; simulque velle a Deo illam non omnibus tribui; idem esset atque una manu ædificare, altera verò diruere. Nam sequeretur tum Redemptionem a Christo factam admodum imperfectam fuisse. et nullatenus ipsum pro omnibus mortuum esse; neque Deum verè ac sincerè velle ut omnes salvi fiant; quod Scripturis, Conciliis, Patribus, nec non et ipsimet rationi adversatur; cum spem nostram funditus destruat, ac fundamentale nostræ Religionis dogma pessundet. Quod etiamsi millies ex Scripturis ostensum sit, non pigeat in re tam gravi nonnulla afferre, quæ positam Ecclesiæ doctrinam confirmant. Et 1. Psal. 144. legitur: *Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors: suavis Dominus universis ... Fidelis Dominus in omnibus verbis suis ... Allevat Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos: Oculi omnium in te sperant Domine ... aperis tu manum tuam et imples omne animal benedictione.* 2. Sap. XI. et XII. habetur: *Misereris omnium Domine, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, et nihil odisti eorum quæ fecisti: parcis autem omnibus quoniam tua sunt, Domine, qui amas Animas. O quam bonus et suavis est Domine Spiritus tuus in omnibus!* &c. Quibus in locis nisi de interiori gratia omnibus distributa sermo sit, illuderemur certe, ac manifestis verbis esset contrarius sensus, nisi Deus omnibus auxilia daret ad implenda præcepta. Ut enim habet Apost. Rom. 3. *Nunquid iniquus est*

Deus, qui infert iram (punitionem)? *Absit : alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum?* 3. Ecclesiastici 15. *Non dixeris : per Deum abest: quæ enim oderit, ne feceris . . . Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui: Adjecit mandata et præcepta : si volueris mandata servare, conservabunt te,* &c. Blasphemum est itaque dicere, *Deum nobis deesse :* sive ut ex contextu: *Si sapientia careo ad bene agendum, Deus causa est.* Unicuique igitur gratia et auxilium ad implenda præcepta tribuitur, nec sine magna injuria illius defectus refunderetur in Deum. 4. Joan. 1. Dei Verbum dicitur *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ;* quod Patres communi consensu de interiori gratia accipiunt Soli simili, de quo dicitur Psal. 18. *Nec est qui se abscondat a calore ejus.* Mittimus alia plura, quæ in Sacris libris leguntur.

LXVIII. Quanquam clara hæc et aperta sint, hisque semper Ecclesia adhæserit, nonnulli tamen effutire audent, hanc universalem gratiam commentum esse scholasticorum: ulterius alii stulte obganniunt, gratiam hanc omnibus concessam errorem fuisse pelagianorum, quem Augustinus refutaverit Epist. 186. ad Paulinum; eundemque errorem adoptasse semipelagianos, contra quos August. Epist. ad Vitalem docuerit, Gratiam non omnibus dari ; quod et decreverit Arausicanum Concilium. Ut itaque hæ calumniæ ac dicteria refellantur, notandum, pelagianos autumasse, Adæ peccatum ei soli et non posteritati nocuisse, adeo ut homo nunc liberum arbitrium in sua integritate possideat ; unde inferebant, interiorem gratiam, quæ inclinaret ad bonum, æquili-

brium voluntatis destructuram fore. Hinc nullam agnoscebant actualem gratiam præter externam legem, doctrinam, exempla, remissionem peccatorum per baptismum, et gratiam adoptionis; quod et S. Augustinus testatur. Quæ cum ita sint, qui fieri potuisset, ut hæretici illi generalem hanc et interiorem gratiam admitterent? Et quomodo Augustinus refutasset, quod ab illis non admittebatur? Arnaldus tamen (*De necessitate Fidei*) ex mutilo S. Augustini testimonio (Epist ad Paulin. n. 1.) vult S. Doctorem, quamcumque gratiam Christianis et Gentilibus communem rejecisse; cum statuat tantummodo divinam gratiam a donis naturalibus esse distinctam. Aliam semipelagiani viam tenebant; gratias nempe admittebant naturales omnibus vi creationis concessas independenter a meritis Redemptoris: At nos cum tota Ecclesia nullam aliam præter Christi gratiam profitemur. Vitalis Carthaginensis contendebat, Evangelio adhærere non esse interioris gratiæ effectum, sed a nostra tantum id oriri voluntate a prædicatione Evangelii excitata. At S. Augustinus Epist. ad Vitalem c. 1. ostendit, quod id sit interioris gratiæ effectus quæ sit omnibus necessaria ad actus bonos eliciendos: quod gratia credendi non omnibus detur quibus Evangelium nuntiatur: et quod, cum illam Deus impertit, gratuitò donet, minimè verò juxta merita illius qui eam recipit. Quæ sane negaverit nemo; At non inde sequitur, eos qui non credunt, nullam recepisse interiorem gratiam, cui restiterint, nec ita Augustinum sensisse. Itaque hæretici illi in eo concordes erant, ut dicerent, Cognitionem Christi et Evangelii, fidem atque adoptionem iis concedi, qui a seipsis ad ea

se disponunt ac præparant, nec obicem ponunt. At Augustinus et Concilia errorem hunc execrantur, definiuntque gratiam hoc sensu acceptam non omnibus dari, cum baptismus pluribus infantibus non concedatur, nullum licet objiciant impedimentum. Sed inde ne sequitur, actualem gratiam ad bona opera necessariam non esse omnibus distributam? Non ne absurdum visum fuisset, ut Augustinus hanc gratiam impugnaret, quam illi nemini dari ajebant, tum quia non necessaria esset, tum quia si daretur liberum arbitrium pessum iret? Hæretici illi errorem suum fulcire conabantur eo Apostoli principio, quod *velit Deus omnes homines salvos fieri;* quo intelligebant, Deum æquali modo ac indifferenter eorundem salutem procurare, ut absque distinctione ulla eadem auxilia et favores electis et reprobis largiatur; quæ auxilia nil aliud sint quam Evangelii notitia. Augustinus tamen jure hanc propulsabat indifferentiam, ac tuebatur, plures adesse erga quos peculiarem Deus prædilectionem ostendat; atque alibi demonstrat, gratias uberiores aliquibus præ cæteris decrevisse, quas decreto omnino gratuito largiatur. Verum generalis voluntas concedendi omnibus plus minusve actuales gratias, non idem est ac voluntas indifferens et erga omnes æqualis. Certè inæqualis gratiarum et generalis distributio nihil detrahit peculiari distributioni gratiarum uberiorum qua utitur erga electos. Hæc duo miscere, idem esset ac turbare omnia et dolosè pervertere Augustini doctrinam. Sunt quibus peculiares Gratias Deus concedit; at nemo est cui sua non tribuat sufficientia auxilia, quibus si fideliter uterentur, ad salutem pertingerent.

CAPUT IX.

DE SUFFICIENTIBUS GRATIÆ AUXILIIS JUSTIS URGENTE PRÆCEPTO CONCESSIS.

LXIX. Mirum sanè videtur, Jansenianos ut suam irresistibilem gratiam statuant, et sufficientem prosternant, perpetuò nostris auribus insussurrare illud Apostoli effatum 1. Cor. 4. *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti: si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Nam, inquiunt, si detur gratia sufficiens, cui unus consentiat, alter reluctetur, non ne prior ab altero se discernit, et gloriari potest? Respondemus: Hæc verba eo sensu intellecta quo adversariis placet, nonne iis magis, quam nobis adversarentur? Ut eos igitur ad silentium adigamus; quomodo huic sententiæ Jansenistæ respondebunt, per quos gratia vel victrix est, vel non, pro majori vel minori subjecti oppositione? Qui ergo minus gratiæ restiterit, ac ita victricem gratiam reddet, ille seipsum ab alio discernet. 2. Quomodo ipsi Thomistæ hoc effatum exponent, in quorum sententia, qui sufficienti gratiæ non reluctatur, efficacem obtinebit, cujus compos non est qui resistit? Et ille ergo ab hoc se discriminat. 3. Difficultas ipsa de Angelis creari posset, qui gratiæ sufficientis auxilio steterunt præ iis, qui lapsi sunt; cum tamen primi nonnisi in Deo per August. gloriari poterant. Directè autem respondemus, Eum qui consentit, se a non consentiente discernere *secundum quid*, præventus scilicet divinæ gratiæ auxilio: non autem abso-

lute sine gratiæ auxilio ullo. Itaque non negat Apostolus, quin homo beneficio adjuvantis gratiæ seipsum discernat; at negat id sine gratia posse fieri per solum voluntatis arbitrium; qui de seipso ait c. 5. *Gratia Dei sum id, quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed Gratia Dei mecum.* Super quæ Augustinus ait: *Ac proinde nec ego solus, nec gratia Dei sola, sed gratia Dei mecum.* Alibi S. D. ait, hic Apostolum non eos arguere qui docent Div. Gratiæ hominem consentire, sed qui ex suo merito id habere volunt. Et quidem S. Petrus jubet ut per bona opera certam nostram electionem faciamus; quidni ergo etiam gratiæ consentiendo? Itaque Augustinus De Sp. et Lit. c. 34. *Accipere Anima non potest dona, de quibus hoc audit, (nempe, quid habes quod non accepisti) nisi consentiendo.* Ut ergo homo gratiæ cooperando meretur vitam æternam, ac se ab aliis discernit; ita qui consentit, quid vetat dicere, ut sensu aliquo se discriminet a non consentientibus? Mittimus tandem, Apostolum hic non loqui de sufficiente gratia ad implenda præcepta; at vero de peculiaribus donis, ac de gratiis gratis datis sermonem facere, ut ex contextu liquet.

LXX. Alia quæ objici queunt, ferme omnia in adversarios ipsos retorquentur. Sed ajunt, Augustinum velle (de Præd. ss. c. 5.) gratiam quæ bonos discernit a malis, non communem esse malis ac bonis; ut gratia sufficiens esse non possit. At dictum est, ibi S. D. pelagianos insectari, qui nullam interiorem agnoscebant gratiam. Qua igitur ratione Vir tantus extra controversiam

vagatus esset? Igitur per communem gratiam quam rejicit, vires intelligit naturales, quas pelagiani fraudolenter gratiam appellabant. Vult ergo S. D. Gratiam quæ bonos a malis discriminat, non esse naturam communem omnibus, sed supernaturale et gratuitum Dei beneficium. Neque dicant, eum qui consentit causam esse præcipuam suæ discretionis ut non a Deo repetenda sit. Nam discretio semper Gratiæ tribui debet, sine qua nihil agere possumus, et cujus partes præcipuæ sunt et nobiliores in bono opere perficiendo: sicut ægroti sanatio præcipue Medico tribuenda est, quàm ægroto remedia accipere consentienti. Ita Angelorum perseverantia, licet eadem sufficienti gratia sulfulti essent, ab Augustino et Jansenio ipso, ipsi gratiæ concessa est. Dici quoque nequit, humanam voluntatem determinare gratiam ad actum. Nam gratia a seipsa determinatio est, inclinatio et impulsio ad bonum; ut absurdum sit, dicere, determinationem determinari etc. Quare qui gratiæ consentit, non gratiam determinat, sed potius determinationem illius sequitur et inclinationem. Ineptum denique est exemplum penicilli in manu pictoris, cui Jansenius sæpe comparat voluntatem in manu Gratiæ. Nam hæc exempla disparata sunt omnino, ac nimis probarent; cum voluntas non sit materiale instrumentum et inanime, quod damnatum est ab Ecclesia, sed libera atque activa, excitata quidem a Deo, sed juxta suam naturam, ut non ejus activitatem destruat, at verò conservet, adaugeat, atque amplificet; licet voluntas possit resilire.

LXXI. Sed postquam hæc universim disputavimus, singillatim modo inquirendum est. Utrùm gratia hæc omnibus distribuatur, an verò justo Dei judicio aliqui-

bus denegetur : Et 1. An justis omnibus urgente præcepto gratia conferatur, qua possint actu mandata implere. Circa quod Lutheri et Calvini error fuerat, Dei mandata etiam justis impossibilia esse ob adhærentem ipsis concupiscentiæ labem. Ad eam hæresim prope accessit Jansenius, qui vult, justis etiam volentibus et conantibus aliquando deesse gratiam imo et Spiritum orationis quo Dei præcepta ipsis possibilia fiant. Ei adhæret Arnaldus in Dissert. de Gratia efficaci. Controversiæ itaque sensus est. Utrum justis urgente præcepto detur gratia sufficiens, quæ relativè ad præsentes eorum vires æqualem ipsis virtutem conferat ad tentationes superandas, et ad implenda præcepta, vel saltem qua possint uberius a Deo impetrare auxilium; ut juxta catholicam fidem tenendum est. Statuitur ergo I. Quod justis omnibus urgente præcepto datur gratia verè sufficiens vel proxima vel remota per quam possint prementem concupiscentiam vincere ac præceptum instans implere. Quod contra primam Jansenii prop. pluribus ex Scripturis momentis ostenditur, inter quæ celebre est illud 1. Cor. 10. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*. Porro tentarentur supra vires justi, nisi urgente tentatione gratiam haberent actuali concupiscentiæ vincendæ idoneam, vel saltem nisi possent ad id uberius impetrare auxilium; quod Apostolus ait a Deo concedi cum dicit: *faciet etiam cum tentatione proventum*: sive ut S. Cyprianus interpretatur: *faciet cum tentatione facultatem evadendi*; quod et græcus textus habet: Ποιησει συν τῳ πειρασμῳ και

την εκβασιν: faciet cum tentatione etiam evasionem. Nec reponat Jansenius, loqui Apostolum de solis prædestinatis, ut contorta expositione tentat illudere. Nam Apost. de justis generatim loquitur, quorum animos excitat, ut obices vincant, præsertim cum Fidelis Deus sit, ut non patiatur eos tentari supra id quod possunt. Hinc etiam Augustinus in Psal. 24. id ad omnes fideles extendit. Sed et pluries id Scripturæ affirmant, ut Ps. 36. *Non vidi justum derelictum . . . cum ceciderit non collidetur, quoniam Dominus supponit manum suam*. Ecclesiast. 2 *Quis permansit in mandatis ejus et derelictus est?* Et c. 34. *Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, et firmamentum virtutis*.

LXXII. Hoc ipsum ostenditur Conciliorum auctoritate, ut Arausicani II. cujus textus allatus est sup. N. XLIX. Tridentinum verò Sess. VI. cap. II. jubet, ne quis *temeraria illa et a Patribus prohibita voce utatur, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia: Nam Deus impossibilia non jubet sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat, ut possis. Nam Deus semel justificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur*. III. Id probatur ex proscriptione primæ inter quinque Jansenii propositiones. Et IV. demum ex PP. pro quibus sufficiat Ss. Augustinum ac Thomam afferre. Ille in Psal. 145. habet: *Non enim Deus deserit opus suum, si ab opere suo non deseratur*. Confess. 4. c. 9. *Te nemo amittit, nisi qui dimittit*. Et de Nat. et Gr. c. 26. *Non deserit, nisi deseratur, ut pie semper justeque vivatur . . . Sanat ergo Deus non so-*

lum ut deleat, quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus. (V. alia sup. N. LXIII.) S. autem Thomas in cap. 1. Ep. ad Cor. ait: *Debetis sperare, quia Deus fidelis est: Non autem videretur esse fidelis si nos vocaret ad societatem filii, et nobis denegaret quantum in ipso est, ea per quæ venire ad eum possemus, unde Josue* 1. *dicitur:* Non te deseram neque derelinquam « Quæ adeo clara sunt, ut commentario non egeant; potissimum cum maximè id deceat Dei justitiam et bonitatem in Sacris Literis tantopere commendatam.

LXXIII. His tamen Arnaldus refragatur, et hoc argumento audet Jansenii blasphemiam fulcire: ait: Sine efficaci gratia justi obtemperare mandatis nequeunt; sed non semper justis adest gratia efficax; alioquin nusquam Dei trangrederentur præcepta; deest ergo illis aliquando gratia, qua præcepta possibilia fiant. Probat verò majorem prop. iis Christi verbis Jo. 6. *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum*. Sed hoc ratiocinum falso nititur fundamento. Nam ea gratia efficax, quam conatur adstruere Arnaldus, tantum abest, ut necessaria sit, ut potius ab Ecclesia damnetur. Certissimè itaque tenendum est, justum cum gratia sufficiente, aut etiam juxta S. Thomam cum habituali quæ influat in actum, habere auxilium ad bene operandum; ut enim August. ait: *Sanat Deus non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam, ne peccemus*. Non requiritur igitur gratia ex intrinsecis suis efficax, ut justi præcepta servent, alioquin aut dicendum foret, justos nunquam transgredi præcepta posse; quod est experientiæ adversum: aut iis sæpe deesse gratiam,

qua præcepta possibilia fiant, quod est ab Ecclesia proscriptum. Textus autem Joannis, ut Conciliorum et PP. qui afferri solent, de gratia præveniente et excitante ad pietatis opera sunt accipiendi, quam Pelagiani impugnabant pro iis qui vocantur ad Fidem: Ac si de justis ea verba intelligere placet, de gratia simpliciter præveniente et cooperante intelligenda sunt. Cum verò hoc sit achilleum Jansenistarum argumentum; noverint tandem, nullam catholicorum scholam suo errori suppetias ferre, ut non raro sibi blandiuntur. Nam in sententia Silvii, Norisii, Berti, aliorumque, si relata Christi verba de efficaci gratia etiam quantum ad justos aliquando accipiuntur, gratia tamen intelligitur quatenus est tantùm præveniens; ac præter efficacem aliam constanter admittunt, quæ sit verè sufficiens. Præterea laudati Theologi potentiam relativam in *mediatam* dividunt et *immediatam;* et si per efficacem gratiam ajunt conferri hanc immediatam potentiam et proximam, at fatentur simul justis semper adesse potentiam mediatam, qua scilicet per orationem et actus virtutum sibi semper efficacem gratiam comparare queunt ad implenda præcepta; ut si peccent, in eorum socordiam ac negligentiam ob quam Dei auxilium non postularunt, lapsus causa sit refundenda. Neque gratia victrix eis denegatur in pœnam originalis culpæ, ut volunt. Nam responderet Apostolus « *Nihil enim damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu*. Nullum ergo peccatum fingi potest, cujus causa justis gratia denegetur. Quare cum Augustinus *de Corr. et Gr.* c. 11. ait: *Nunc autem quibus deest tale auxilium, jam pœna peccati est:* de justis certè loqui nequit S. Doctor. Quod si aliquando defuerit, deerit auxi-

lium sufficiens proximum et immediatum, nunquam tamen remotum, quo per orationem validius consequantur. Alioquin frustra monuisset Christus: *Vigilate et orate... Oportet semper orare... Petite et accipietis*.

LXXIV. Magnam quoque Jansenii discipuli difficultatem opinantur creare Catholicæ veritati ex lapsu S. Petri cum Magistrum abnegavit suum. Ajunt itaque: Petrus justus erat, cum nosse Christum Dominum inficiatus est. Sed ipsi tunc gratia omnino defuit, aut non fuit relativè sufficiens, ut affirmant Chrysostomus et Augustinus; Justis ergo deest aliquando gratia, qua valeant præcepta implere. Mirum, quot congerunt inutilia ut hoc debile objectum sustentent, quod facile sternitur. Nam sive dicamus, Petrum tunc justum fuisse, sive jam excidisse a justitia ut sentiunt nonnulli Patres ob temerariam præsumptionem qua in suis viribus confidebat cum dixit: *Etsi omnes scandalizati fuerint, ego nunquam scandalizabor*; id nihil adversariorum causam juvat. Non enim dici potest, quamcumque gratiam tunc Petro defuisse; licet enim proxima sufficiens tunc ipsi denegata esset, non caruit certè gratia remota ac mediata, nempe orandi spiritu, quo potuisset uberius impetrare auxilium; de qua gratia, quæ ipsi præsto esset, Christus Dominus Petrum et socios in horto commonefecerat cum dixit: *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem* &c. Quæ ergo a Patribus Petro denegatur potentia, ea proxima est, non certe remota. Revera Chrysostomus Hom. 85. in Matth. agnoscit in S. Petro gratiam orationis qua Dei Auxilium poterat implorare, inquiens: *Cum dicendum esset, opem nobis feras, ne scandalizemur, e contrario ni-*

mium sibi arrogans, totum sibi tribuebat...cum dicere debuisset, patrocinio tuo juvabis. Cæterum mirum est, quod Chrysostomus hic objiciatur, qui gratiam generalem passim agnovit, quique, si fides Jansenio est, passim pelagianizat; quomodo potuisset ergo hanc Petro denegare gratiam? Quod spectat ad Augustini auctoritatem, Sermo 124. unde sumpta est, meritò inter spurios ab eruditis rejicitur. Tamen verbum *subdeseruit,* quod hîc adhibetur, non omnimodam significat derelictionem. Verum August. l. de Unit. Eccl. c. 9. apertè gratiam saltem remotam in Petro agnoscit, inquiens: *Quis dubitaverit, quod Judas Christum si voluisset, utique non tradidisset: et Petrus si voluisset ter Dominum non negasset? Nam dum se perculsum sensit, deponere potuit mentis tumorem, et Deo cum Propheta dicere: Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* Gratia igitur relativè sufficiens Petro aderat, qua saltem per orationem ad Deum confugere poterat; nisi velimus, Augustinum hîc insulsè loqui. Neque ex quo Christus Petro dixerit: *Non potes me sequi modo* (Jo 22), sequitur gratia fuisse destitutum, ne eum negaret; nam ex quo Petrus tunc non potuerit pro Christo mori, ut verba referunt, malè infertur, tunc a negatione non potuisse abstinere. Evanescit igitur difficultas quam tantopere jactitant Jansenistæ.

LXXV. Aliam difficultatem in Augustino expiscati sunt, ubi de Dono Persev. c 22. hanc expendens propositionem « Si qui obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis » in ea tantum reprehendit, ajunt, quod non in tertia persona pronuntietur; ut hinc supponat, subtrahi non prædesti-

natis obediendi vires, ac verè sufficientia auxilia. At falsò hanc illationem ducunt; qui non tantum loquendi modum, sed et rem ipsam, seu subtractionem virium in ea improbat propositione, quam odiosam, durissimam, et abominandam dicit. Hinc alteram veram ei substituit « *Quid sententiæ deperit, si ita dicatur: si qui obediunt, et in regnum ejus et gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia perseverabunt*. Imo addit S. D. *Sperandam, et quotidianis orationibus poscendam esse obediendi perseverantiam*. Ubi adesse singulis saltem orationis gratiam qua perseverantiam impetrare queant, docet. Cur ergo, ajunt, multoties ad arcana Dei judicia confugit, ut rationem reddat, cur uni det, non alteri perseverantiam? Quia nempe hisce in rebus satius est ad Providentiæ arcana confugere. Tametsi enim generalis ratio reddi possit, cur unus perseveret, neutiquam alter; quod nempe unus orando petiit, alter non petiit, in quo arcanum nullum adest, dicente Christo: *Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis*: tamen quantum ad alia plura, ad occulta Dei judicia confugiendum est, potius quam ad imperfectas et incertas hominum conjecturas. Sed Ant. Arnaldus ulterius instat: Gratia sufficiens est illustratio mentis et inclinatio voluntatis; sed hæc justis urgente præcepto non semper datur; alioquin nunquam ex ignorantia aut ex inadvertentia peccarent. Ubi non advertit Arnaldus, tradidisse definitionem gratiæ sufficientis proximæ et immediatæ, quæ non semper remotæ applicari potest. Itaque justis aliquando deest gratia sufficiens proxima, iisque sola adest mediata et remota, qua, ut dictum est

per orationem præcepti implendi voluntatem impetrare possint. Igitur si tunc justus orare negligat, licet non attendat quid agendum sit, peccabit tamen; cum hæc ignorantia voluntaria sit, nec culpa careat; cum Dominus jubeat, ut frequenter oremus, ne sinat Deus ut in tentationem labamur. Manifestum est igitur, justis nunquam deesse auxilium quo valeant obtemperare præceptis, quibus saltem semper præsto est medium, quo nanciscantur uberiorem gratiam.

CAPUT X.

SUFFICIENTIA GRATIÆ AUXILIA OMNIBUS FIDELIBUS VINDICANTUR.

LXXVI. Inquirendum modo est de fidelibus non justis, sive de peccatoribus iisque vel nondum obduratis, vel jam obduratis et obcæcatis; et circa quæstionem hanc non dicitur, auxilia gratiæ omnibus æqualiter adultis indiscriminatim distribui; cum negativa sententia certa sit et Scripturis conformior ac Patribus ex illo Sapientiæ 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus*. Quæstio quoque non movetur; an omni tempore singulis concedatur gratia ut convertantur, quam non dari pro certo habet Bellarminus; sed quæritur: utrum pro loco et tempore, et cum præceptum urget, detur omnibus gratia sive mediate sive immediate sufficiens tum ut nova peccata caveant, tum ut a veteribus resipiscant. Observandum vero est circa rem hanc varios esse errores, et discrepantes sententias. Nam 1. Jansenius peccatoribus omnibus gratiam verè sufficientem adimit,

quod suo systemati cohærens est. 2. Theologi quidam arbitrantur, peccatores qui obdurati et excæcati dicuntur, omni interioris gratiæ auxilio in præcedentium facinorum pœnam destitui. Verum communis et pervulgata inter Catholicos sententia est, fidelibus peccato inquinatis, etiamsi obdurati sint, pro loco et tempore gratias concedi saltem mediate sufficientes tum ut a novis peccatis abstineant, tum ut a veteribus emergant, ut docet S. Thomas 3. p. q. 86. a. 1. et de Verit. a. 11. Bellarminus, Suarez, et Catholici fermè omnes.

LXXVII. Statuitur itaque, Quod Deus omnibus fidelibus etiam non justis, imo et obduratis offerat et præparet auxilia ad salutem verè sufficientia sive proxima, sive remota quibus nova possint peccata vitare, præcepta legis implere, ac etiam duritiem cordis et cæcitatem deponere. Nam quantum ad simplices peccatores Thesis hujus demonstratio fluit ex jam dictis, Deum nempe sincera voluntate velle omnes homines salvos fieri, et Christum Dominum pro omnibus ac singulis mortuum esse; cujus divinæ bonitatis effectus est mediorum ad consequendam salutem præparatio. Itaque S. Tho. 3. c. gen. c. 159. ait: *Deus quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare... sed illi soli gratia privantur, qui in se ipsis gratiæ impedimentum præstant: sicut sole mundum illuminante in culpam imputatur ei, qui oculos claudit*. Hinc ambigi nequit, quin Deus det omnibus auxilium sufficiens quo oblatam gratiam recipere valeant; alioquin inutilis plane ac irrisoria hæc oblatio foret. Sed quod nulli etiam obdurato velit Deus quamlibet sufficientem gratiam semper denegare, est per se perspicuum; alioquin homo ille jam in statu ter-

mini censendus esset, nullaque ratione a damnatis differret. Verum id esse non posse ipsis Scripturis ostenditur. Nam Ezechielis c. 33. 10. ait Dominus: *Sic locuti estis dicentes: iniquitates nostræ et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabescimus: quomodo ergo vivere poterimus? Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus; nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis, et quare moriemini, domus Israël?* At illa adhortatio irrisoria videretur, ait Bellarminus, nisi Deus illis vires dedisset, quibus converti possent. Verum irrisoriam non fuisse ex ipso contextu liquet; nisi forte cum Jansenio quis dixerit (quod aures exhorrescunt), nihil aliud fuisse Testamentum illud vetus, nisi magnam quandam quasi comœdiam; ut Deus simulaverit illorum voluisse conversionem, quam reipsa nolebat. 2. Joan. 1. habetur: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem*. Super quæ August l. de Gen. c. Manich. 3. *Omnes homines possunt si velint* (se convertere ad implenda præcepta), *quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum*. 3. Rex Salomon Proverb. c. 1. divinam Sapientiam ita clamantem inducit: *Usquequo parvuli diligitis infantiam, et stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, et imprudentes odibunt scientiam? Convertimini ad correptionem meam: En proferam vobis spiritum meum, et ostendam vobis verba mea.* Hæ sententiæ generales sunt, omnesque prorsus respiciunt absque obduratorum exceptione ulla. Imo obdurati aperte designantur ab Apost. Rom. 2. quibus ait: *An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimi-*

tatis contemnis? Ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? &c. S. Stephanus quoque Act. 7. iis ajebat: *Dura cervice ... vos semper Spiritui Sancto resistitis*. Nonne vanæ essent adhortationes illæ, si quibuslibet peccatoribus gratiam Deus non largiretur, qua possent remotè saltem ad veram pœnitentiam resurgere? Sed consulantur quæ de voluntate Dei erga omnium salutem dicta sunt « De Rebus Divinis » a Num. xc. et deinceps.

LXXVIII. Præstat nihilominus nonnulla ex Traditione addere, ut Ecclesiæ doctrina clarius eluceat. In Conc. Valentino III. Can. 2. habetur: Malos non ideo perire quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse *noluerunt*. In Senonensi autem Decreto 15. legitur. *Nec tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, nec momentum quidem prætereat, in quo non stet ad ostium et pulset*. Tridentinum verò: *Deus impossibilia non jubet* &c. Sed conversio jubetur; ergo et obduratis gratia adest, qua convertantur. Plura non modo ex aliis Patribus sed ex Augustino ipso in rem hanc afferri possent, ut l. c. factum est; sed sufficiat adnotare, eum duo hæc axiomata ubique statuere. 1. Quod Deus impossibilia non jubeat, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis. 2. Quod nemo peccet in eo quod nullo modo caveri potest: *peccatur autem; caveri igitur potest, sed opitulante illo, qui non potest falli* &c. Ita de Nat. et Gr. c 67. Eandem doctrinam tradit S. Prosper (ad Object. Vin.) inquiens: *Nemini Deus correptionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat*. Et Auctor de

Voc. Gen. *Nullis hominibus opem Gratiæ in omnibus fuisse subtractam*. Demum plures non desunt rationes. 1. Quod præceptum conversionis omnes etiam obduratos urget, præsertim in extremo vitæ; resipiscere ergo queunt. 2. Ex principio SS. August. et Thomæ, quod perfecta obduratio in hac vita non detur, sed inchoata tantum 3. Ex quo in hac vita nemo de sua salute desperare debeant, sed spem collocare in Dei auxilio, ut ex Tridentino Conc. habemus.

LXXIX. Quid igitur, ajunt, dicendum erit de iis Scripturarum locis, in quibus omnimoda illa derelictio affirmatur? Ita Ecclesiastici 7. *Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit.* Proverb. 1. *Tunc invocabunt et non exaudiam*. In Exodo habetur: *Ego indurabo cor Pharaonis*. 2. Machab. c. 9. *Orabat hic scelestus Dominum a quo non erat misericordiam consecuturus*. Et Joan 12. de induratis dicitur: *Propterea non poterant credere; quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum*. Sed ex jam dictis manifestum est, omnia hæc voluntariam ex parte hominum significare causam, obicem, et impedimentum ne convertantur, divinisque auxiliis cumulentur. Hinc Deus cum Ezech. 33. dixisset: *Vivo ego, nolo mortem impii* &c. addit: *impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua . . . Si autem dixero impio: morte morieris: et egerit pœnitentiam a peccato suo, vita vivet, et non morietur*. Idem habetur c. 18. Apud Jerem. quoque c. 18. ait Dominus: *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo . . . agam et ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei*: Peccatores ergo dicuntur a-

liquando non posse bene operari proximè non verò nec proximè, nec remotè. Quare August. de judæis Tr. 53. in Jo. ait: *Cur non poterant credere? Quia nolebant.* Eadem via plures aliæ exponuntur Scripturæ phrases: ut Isaiæ c. 5. de vinea: *Auferam sepem ejus, et erit in direptionem ... et ponam eam desertam.* Jerem. 51. *Curavimus babylonem et non est sanata, derelinquamus eam.* Ad Rom. 1. *Tradidit illos in reprobum sensum* Et c. 11 *Obscurentur oculi eorum ne videant:* et allato Pharaonis exemplo, ait Apost. *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat.* Nam circa loca hæc observare licet 1. Patres omnimodam derelictionem asserere non fieri a Deo, sed incompletam et ad tempus ut semper supersit pœnitentiæ locus. In quibusdam allatis testimoniis esse aliquod emphaticum quod nimis urgendum non sit: ut alia sunt, quæ moderatum requirunt interpretem; nam loca secernenda sunt in quibus peccatores redarguuntur, a locis in quibus theoreticæ traduntur doctrinæ ubi nihil figuratum latet. 3. Quædam loca accipi præterea possunt de morte æterna, quæ obstinatos expectat.

LXXX. Facilis ergo ad singula responsio est. Et ad 1. *Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit*: De majori difficultate est intelligendum, ut habet Ecclesiastes: *Perversi difficile corriguntur*: sive etiam nullum hominum posse eum corrigere, non autem Deum; ut inde inferri nequeat omni gratia eum esse orbatum. Ad 2. Ait Deus: *Tunc invocabunt et non exaudiam*: quia malè nec sicut oportet invocabunt; non quod nullatenus ad Deum reverti queant. Alii locum hunc de extremo judicio interpretantur. Ad

3. Ita et Antiochus non erat misericordiam consecuturus, quia non sicut oportet, orabat; ac terrena, non divina exposcebat. Ad 4. Ait Deus: *Ego indurabo cor Pharaonis*: negativè scilicet et occasionaliter, non positivè impertiendo malitiam, quod esset absurdum; neque etiam omnes gratias denegando. Hinc Exodi 8. 15. dicitur: *Pharao ingravavit cor suum, nec audivit eos*: alibi quoque obduratio ipsi tribuitur. Illa ergo est hebraica phrasis hunc referens sensum: Ex prodigiis quibus percutiam Ægyptum Pharao quin motivum sumat flectendi cor suum, occasionem accipiet potius ob suam malitiam magis meæ voluntati pertinaciter obsistendi. Idem est de peccatoribus dicendum, quos Deus frequenter objurgat, quod ex suis aut minis aut beneficiis occasionem perversè capiant, ut seipsos magis obdurent. Ita apud Jerem. *Induraverunt cervicem suam ut non audirent... Induraverunt faciem suam supra petram, et noluerunt reverti*: Nempe, *excæcavit illos malitia eorum*: *Noluerunt intelligere ut bene agerent*. Quare Psal. 49. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra* Ad 5. Quæ Joannes habet de judæis: Non poterant credere ex hypothesi quod noluerint, et libera ipsorum obduratio fuerit prævisa; non verò quod omni gratia fuerint destituti. Joannes prophetiæ sensum profert, qua non significatur, Deum causam esse directam eorundem excæcationis, sed occasionalem tantum; qui ex Dei patientia et benefactis occasionem ex propria malitia sumebant cor suum obdurandi. Revera legitur Isaiæ 6. *Dices populo huic: audite audientes, et nolite intelligere ... Excæca cor populi hujus* &c. At quomodo

Isaias populum excæcare potuisset? Sensus ergo est « Vade et exprobra populo huic stupiditatem et cæcitatem suam, eique minare, non jam futurum ut se convertat, et sit aliquando salvus » Hoc in sensu prophetiam referunt S. Matth. c. 13. et Apost. in Actis c. 28. 25. his verbis: *Vade ad populum istum et dic ad eos: Aure audietis et non intelligetis ... incrassatum est enim cor populi hujus; et auribus graviter audierunt, et oculos suos compresserunt, ne forte.. convertantur et sanem eos*. Propria ergo malitia cæcos se surdosque faciebant; nec inde sequitur, omni fuisse gratia destitutos. Itaque cum Trident. Sess. 6. habet: *Deus neminem deserit, nisi prius deseratur*: aut cum August. ait: *Deum indurare non impertiendo malitiam, sed non tribuendo gratiam*: hæc et alia non de omni gratiæ subtractione, non de impotentia intelligenda sunt; sed vel de auxiliorum imminutione, vel de majori difficultate. Nemo enim omnino cæcus habendus, aut obfirmatus in malo; cum ipsi perditissimi non raró conscientiæ stimulis agitentur, et aliquando redeant ad Deum. Dicitur quidem Psal. 94. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Inde tamen erui nequit, obduratis deesse gratiam qua peccata devitent, ac etiam revertantur ad Deum: nam ipsæ minæ et objurgationes ad eos excitandos ordinatæ sunt. Imo dici posset, ipsis gratiam semper præsto esse ad cordis duritiem deponendam; cum hoc sit Dei præceptum, præsertim pro loco et tempore, et Deus paratus sit, omnibus conferre gratiam obicem non ponentibus: ita ut illud Psalmi non de ordinariis auxiliis, verum de peculiari vocatione intelligendùm sit.

LXXXI. Cæterum doctrina est S. Thomæ (De Veritate q. 24. A. 12.) Posse aliquem existentem in peccato mortali vitare omnia mortalia peccata auxilio gratiæ: posse etiam ex naturali virtute singula vitare, quamvis non omnia, atque ideo non sequitur, quod peccatum committendo non peccet; ut quidam errando ajunt. Sed malè quoque alii obloquuntur, dari gratiam sufficientem ut homo gravius peccet, quam si ea careret. Gravius enim peccat ex propria malitia, non quod gratia illum peccare faciat. Ad peccandum homo sibi sufficit, et gratia adjuvat, ut non peccet. Nec enim gratia in peccatum influit, neque ad hoc datur ut homo gravius peccet; sed peccatum oritur ex abusu Gratiæ, sicut oritur ex liberi arbitrii abusu. Sicut ergo ex quo libero arbitrio quis abutatur, non sequitur illud non fuisse homini tribuendum, per quod maximum bonum sibi acquirere poterat; ita quoque est de gratia dicendum. Quod si homo etiam sine gratia peccaret, cur ajunt, eam dari, ut homo sit inexcusabilis? Non enim homo sine gratia ita est determinatus ad unum, ut non possit aliud facere, aut etiam suspendere actum. Gratia ergo eo fine potissimum datur, ut homo agere possit ob supernaturalem finem et præcipue ut suam conversionem operetur, quam justissimè Deus peccatoribus præcipit. Sed instant sine sufficienti gratia homo aut non peccaret, aut minus peccaret; ipsa igitur erit causa peccati. At minimè id dici potest. Est enim sophisma, quod logici appellant « a non causa pro causa » Nam ponitur quod gratia sufficiens sit causa peccati, cum potius causa sit non peccandi. Causa peccati efficiens est tantum abusus liberi arbitrii et hominis malitia; gratia vero hoc in ca-

su dici posset tantum impropriè causa, per accidens, occasionalis, ac præter Dei intentionem, sicuti lex: nam *non cognovi peccatum nisi per legem* ait Apostolus: ubi non est lex nec peccatum adest: ergo lex danda non erat, quæ datur, ne peccemus? ergo peccatum legi imputabitur.? Absit. Multo minus igitur gratiæ, quæ adjuvat, ne quis peccet. Idem quoque esset, ac si quis diceret, beneficia causam esse ingrati animi, aut facere ingratos. Quod cum vulgò dicitur, non sensus est, beneficia ex se ac directè ingratos reddere; alioquin non esset licitum bene facere; sed intelligitur indirectè ac per accidens ob hominum improbitatem, qui occasionem inde sumunt, se ingratè gerendi, licet benefacta ad gratos homines et benemerentes reddendos directa sint. Eodem pacto est de Gratia disserendum. (V. sup. N LXIV). Fuit etiam Jansenii error, gratiam sufficientem in Veteri lege judæis omnibus non fuisse collatam, ac legem eis datam non ut peccata vitarentur, sed ut multiplicarentur; unde illis justitia fuerit quasi impossibilis. Hoc est tamen contrarium Dei verbis Deuter. 30. *Mandatum, quod ego præcipio tibi, non supra te est* &c. Ea de re damnatæ habentur Quesnelli prop. 6 et 7. a Clem. XI. in Bulla *Unigenitus*. Quod ergo habetur ad Rom. 5. *Lex subintravit ut abundaret delictum*: intelligendum est, quod lex per accidens fuit occasio delictorum ex vitio hominum contra intentionem Dei; non data eo fine, ut homines peccarent, quod blasphemum est dicere. Particula vero (ut), non causam sed eventum significat, ut ait Chrysost. Dicitur quoque 1. Cor. 15. *Virtus peccati lex* « Per accidens nempe et hominum culpa est multis occasio peccandi. Appella-

tur autem *lex mortis*, quia per se vitam non dabat, sed per fidem in Salvatorem venturum: et etiam quia multa delicta morte plectebantur. Et quia tunc peccata frequentiora erant, ideo etiam *Lex peccati* dicta est. Sed jam est inquirendum, utrum sufficientia Gratiæ Auxilia etiam Infidelibus et reliquis omnibus concedantur.

CAPUT XI.

DE GENTILIBUS ET INFIDELIBUS CÆTERISQUE OMNIBUS, QUANTUM AD SUFFICIENTIA AUXILIA EIS CONCESSA.

LXXXII. Infideles, *quos Deus, cum sit Dominus omnium*, ut ait Apost. et ipsos *vult salvos fieri*, duas in classes secerni solent. Alii dicuntur *negativi* atque ii sunt, qui Evangelii prædicationem neque audiverunt unquam neque recusarunt audire: Alii *positivi* appellantur, qui nempe Evangelium audire negaverunt, vel auditum contempserunt. Infideles utriusque generis hæc inquisitio respicit, et eos maximè prioris classis, quibus omnibus gratiam sufficientem denegari Jansenius contendit, eamque eis concedere, ait petulanter esse errorem semipelagianorum, etiamsi in eos diffundi catholici maxima consensione confirment. Porro tanta est affinitas inter hanc de infidelibus et præcedentem de obduratis controversiam, ut utraque iisdem fere dirimatur momentis. Itaque statuendum est, Infidelibus omnibus gratias dari sufficientes præter externa auxilia, quibus remotè saltem ac mediate ad fidem converti, certisque gradibus ad salutem queant pervenire. Hoc 1. non obscurè innuit Apost. Rom. 1. et 2. unde eruitur, 1. pos-

se infideles, quæ Dei sunt agnoscere: *Deus enim illis manifestavit*. 2. Legem observare posse: *Naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*. 3. Scire quæ Deus velit ab eis: *Testimonium illis reddente conscientia ipsorum*. 4. Veritatem eorum menti affulgere, ut sint inexcusabiles dum ipsi non acquiescunt, *quia cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt*. Non deerant ergo illis sufficientia auxilia. Hoc 2. ostenditur Patrum auctoritate. S. Augustinus ad ea verba Psal. 18. *Non est qui se abscondat a calore ejus:* habet: « Non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis, et ipsam enim penetravit Verbi calor » At excusare se possent infideles, si qualibet essent interiori gratia destituti. Auctor de Vocat. Gent. l. 2. c. 5. scribit: *Adhibita semper est universis hominibus quædam mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris occultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium*. S. autem Thomas his manifeste assentitur, adducto præsertim exemplo de eo, qui foret educatus in silvis. Quare Alexander VIII. hanc prop. an. 1690. damnavit: « Pagani, Judæi, hæretici aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficiente » Et Clem. XI. sequentes Quesnelli prop. 26. 27. 28. proscripsit: « Nulla datur gratia nisi per fidem » fides est prima gratia et fons omnium aliarum « Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia » Tertio, assertio posita his principiis innititur. 1. Deus vult omnes homines salvos fieri &c. 2. Christus dedit semetipsum redemptionem pro om-

nibus. 3. Deus impossibilia non jubet. 4. Nemo peccat in eo quod vitare non potest. 5. Infidelibus meritò imputatur in culpam quando mandata Dei cum advertentia transgrediuntur ac volentes delinquunt. Nam ex duobus primis deducitur, eos habere aliquod interioris gratiæ auxilium: ex aliis tribus sequeretur, alioquin esse a peccato immunes, et omnino exscusabiles; quod est contra Apostoli doctrinam. Hinc S. Cyrillus Alex. contra Julianum data opera ostendit, Deum non Judæorum tantùm, sed et omnium populorum curam gessisse. Revera singulis temporibus locum infidelibus datum fuisse ut veram religionem agnoscerent, constat ex c. 12. Exodi, ubi relatum est, plurimos ægyptios ob patrata a Deo miracula hebræos secutos fuisse, multosque alienigenas eis adhæsisse constat ex libris Josue et Regum. Quin etiam in Templo a Salomone erecto locus erat pro gentilibus, nec oblationes illorum rejiciebantur, qui a Davide invitabantur, ut hostias afferrent ac Dominum adorarent Psal. 95. *Afferte Domino patriæ gentium . . . tollite hostias et introite in atria ejus*. Nec preces pro regibus gentium unquam rejectæ sunt, cum potius Apostolus pro iis et omnibus orare jubeat, eo quod *velit Deus omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire*: 1 ad Tim. 2.

LXXXIII. Adversus tamen tot pondera argumentorum nonnulli insurgunt, ajuntque, Augustinum, Prosperum, Fulgentium docere, non omnibus gratiam concedi: « Scimus gratiam non omnibus hominibus dari » inquit Aug. Epist. 217, et alibi « Communis est natura, non gratia » Et Serm. 5. de Verb. Apost. c. 19. « Pagani non habent gratiam Domini per Dominum N.»

Respondemus tamen, Patres his phrasibus velle adversus Pelagianos, non omnibus concedi specialem gratiam qua oves Christi sumus, et Gratiam potissimum sanctificantem, quæ propria fidelium est, et qua filii Dei nominamur et sumus: vel etiam adversus semipelagianos gratiam non omnibus dari æqualiter. At minime inficiantur, gratiam aliquam universim et propriè dictam omnibus tribui. Non ergo de illa gratia loquuntur, qua Deus illuminat omnem hominem, qua efficit, ut præcepta sua non sint supra hominum vires; quaque ita consulit saluti omnium, ut si velint, ad agnitionem veritatis pertingere valeant. Nam hi Patres disputant contra Pelagianos, qui gratiæ nomine naturalia dona intelligebant, aut contra semipelagianos, qui gratiam æquali mensura omnibus distribui volebant. Sed ajunt, Augustinum De Præd. SS. c. 16. affirmare, quod *fides ipsa prima datur, ex qua impetrantur cætera.* Et l. 1. ad Simplic. q. 2. *Incipit homo percipere gratiam ex quo incipit credere.* Hinc Triden. Sess. 6. cap. 8. *Fides est humanæ salutis initium.* Quibus respondendum, evanescere objectum, si in fide gradus, ut opus est, distinguamus. Alia itaque est fides perfecta; alia imperfecta et inchoata: Priori distinctè creduntur Religionis mysteria: posteriori quælibet Dei cognitio et pia cogitatio habetur divinitus immissa, qua Deus creditur remunerator futurus. Hæc fides initialis et implicita est prima gratia et salutis initium, sine qua invocari Deus non posset. Fides igitur perfecta prima gratia non est; ut patet exemplo Cornelii centurionis de quo August. de Præd. SS. c. 7. *Cornelii acceptæ fuerunt eleemosynæ et exauditæ orationes antequam credidisset in Chri-*

stum, nec tamen sine aliqua fide donabat et orabat: habebat enim (addit S. D. l. 1. ad Simpl.) *inchoationem quandam fidei.* Itaque juxta Apost. 2. ad Thessal. 3. *Non omnium est fides*, perfecta nempe et explicita in Christum; quantum verò ad imperfectam et initialem, non est quidem omnium quantum ad actum, cum non omnes Deo vocanti credant; at omnium est quantum ad capacitatem et potestatem, cum omnes adulti vocationi obtemperare possint, et inspirentur ut credant. Quare hac in re quinque sunt distinguenda. 1. Inspiratio fidei inchoatæ, quæ dat credendi potestatem. 2. Ipsamet inchoata fides, quæ actum etiam importat. 3. Inspiratio fidei explicitæ. 4. Ipsa fides explicita atque perfecta. 5. Tandem fides habitualis. Prior est prima gratia quæ adultis omnibus datur, quamvis non omnes eam amplectantur. Tertia est prima gratia fidelium, quam Patres non raró primam vocant. Quinta denique inter virtutes Theologicas primum locum tenet, ut fatentur omnes, et quo sensu Patres, aliquando primam virtutem appellant: Quare illud Apost. Rom. 10. *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* hunc sensum præsefert: quomodo gentes Christum invocabunt, quem non agnoscunt? ut nempe inde necessitatem statuat prædicationis. Textus autem Tridentini significat, fidem in Christum esse primam dispositionem proximam ad salutem, quas dispositiones ibi enumerat; ac de ea dispositione loquitur quoque August. loco adducto. At nequit inde inferri gratias ad salutem remotas infidelibus non concedi.

LXXXIV. Quærunt tamen adversarii, cur Augustinus ad arcana providentiæ Dei referat, quod ex infi-

delibus alii ad fidem veniant, alii non: quæ res in nostra sententia plana esset, quod nempe sufficienti gratiæ consenserint. Sed August. dum hac in re ad arcana Dei recurrit, de peculiari loquitur circumstantia, in qua omnia utrimque æqualia concurrere videantur, cujus adæquata ratio reddi nequit nisi ad arcana scientiæ Dei confugiatur. At generatim loquendo cur alii convertantur, alii non, dubium non est, quin ratio sit, quod alii gratiæ consentiant, renuentibus aliis; quod supponit Apost. Rom. 3. cum ait: *Sed non omnes obediunt Evangelio*. Quod non impedit, quin frequenter exclamare oporteat: *O altitudo divitiarum Sapientiæ Dei!* At reponunt, explicari non posse in quonam sita sit hæc sufficiens gratia infidelibus concessa. Cui responderet Augustinus: *Nunquid negandum est, quod est apertum, quia latet quod est occultum?* Videtur tamen eam positam esse in quadam mentis illustratione ac motione voluntatis, ut adjuventur ad naturalem legem servandam, cui si cooperentur, certissimè per Christi merita dabitur ipsis pro loco et tempore gratia proximè sufficiens ad fidem, quod multis modis Deum præstare posse docet S. Thomas. Nam ut habet Apost. Rom. XI. *Conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur:* Nempe non sivisset misericors Deus ut omnes a veritate aberrarent, nisi omnibus misericordiam exhibere proposuisset Verum, ajunt, ex hac doctrina sequeretur absentiam fidei esse in infidelibus voluntariam saltem indirectè, ac peccatum ipsis imputabile, quod prop. 68. inter Bajanas damnatum est. Haudquaquam tamen id sequeretur: Ut enim effectus voluntarius censeatur, non sufficit quod actus sit liber, sed ut

cognoscatur aut cognosci possit ex illa provenire actione. Alias effectus minimè esset voluntarius habendus. Id autem infidelis scire nullo modo potest. Peccaret ergo legem transgrediendo, sed non quantum ad impedimentum quod sibi opponeret, ut proximè disponatur ad fidem, ut docet S. Thomas 1. 2. q 6. a. 3.

LXXXV. Sed hic agitanda venit quæstio: An omnibus etiam et singulis infantibus Deus sufficienter de remedio providerit ad salutem æternam necessario? Nam constat quidem sufficienter iis fuisse provisum qui parentum aut aliorum incuria sine Baptismo decedunt: ut medicus qui pharmaca præparavit et jussit ministrari ægroto, sufficienter ei providisse censetur, licet ministrorum incuria id factum non sit: quare Auctor De Voc. gentium l. 2. c. 23. scribit: *Non irreligiosè arbitror credi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis impensa est nationibus, qua utique si benè uterentur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.* Itaque præsens quæstio de iis dumtaxat movetur infantibus qui prius pereunt quam possit illis ulla humana diligentia baptismus conferri; de qua duæ potissimum recensentur sententiæ: Alii sufficienter iis Deum providisse negant, uti Vasquez et Augustinenses: Docent alii, Deum ex parte sua sincerè voluisse istis etiam æternam salutem dare, iisque de remedio necessario quantum in ipso est providisse; ita Suarez, Tournely, aliique communi suffragio. Fuere qui censuerint medio extraordinario iis provisum fuisse, ut ex. g. Deum pueris accelerraturum usum rationis, ut possint per actum dilectionis justificari: Alii ad medium quoddam ignotum recurrunt;

cum Theologus non teneatur assignare modos, quibus Deus providentia sua ad præstitutos fines creaturas perducat: Alii demum opinantur, sicut in Adæ manibus descendentium salutem Deus constituerat; ita modo media pro parvulis sufficientia ad baptismum in parentum manu posuisse, qui si honestè vivant, et Deum pro parvulis orent ut oportet, certò futurum sit, ut baptismus possit iis applicari: quo in casu si pueri pereant, non ideo parentes causa censeantur illorum exclusionis a gloria cujus causa propria est originale peccatum. Sed ea est tantum conditio sine qua salutem non consequuntur cælestem.

LXXXVI. Hinc statuendum est, Deum antecedenti sed vera ac sincera voluntate omnium infantium salutem voluisse, ac de remediis eis applicandis sufficienter quantum est ex se providisse. Ad quod ostendendum 1. recurrunt duo gravissima de Voluntate Dei, ac de Christi morte pro salute omnium momenta. Neque enim ratio ulla suadet ab ea generali sententia Apost. 1. ad Tim. 2. excipiendos esse parvulos qui absque Baptismo decedunt: ut enim ait August. L. 4. cont. Jul. c. 8. *Nunquid parvuli homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est: Omnes homines vult salvos fieri?* 2. Pro iis etiam Christum mortuum esse, satis declarat Apost. 2. Cor. 5. iis verbis: *Omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus:* Sicut enim prima propositionis pars ad istos parvulos extendi debet, ita et pars secunda, ut August. ait l. 2. de Nupt c. 33. At qui vult finem media etiam vult; Deus igitur qui verè horum salutem vult, media quoque eis parare voluit. 3. Ut censeatur Deus iis sufficienter providisse, non est

necesse ut id omni possibili modo voluerit, quod proprium esset absolutæ voluntatis; at satis est. 1. Ut media præparaverit, et per causas secundas applicari voluerit, nec directè illas unquam impediat. 2. Ut harum causarum cursum, uti provisor universalis est, mutare non teneatur. 3. Ut horum mortem ob suos sapientes et altiores fines possit in casu illo indirecte permittere. Quæ omnia in hac providentia occurrunt; nam remedium offert ac ministris jubet, ut illud conferant. Quod si remedium applicari non possit, non est id a directa Dei voluntate, sed tantum a merè permissiva, cum non semper Deum deceat institutum antea naturæ ordinem interturbare. Id ergo nihil obstat quin dicamus, sufficienter eorum saluti consultum fuisse. Appositè S. Thomas In 4. Sent. dist. 6. n 1. *Non est ex defectu divinæ misericordiæ, quod in maternis uteris existentibus remedium illud non exhibetur; sed quia non sunt capaces illius remedii ... cum non possint subjici operationi Ministrorum Ecclesiæ*.

LXXXVII. Non his facilè acquiescunt adversarii, et 1. illud opponunt August. De Dono persev. c. 12. et Epist. ad Sixtum, nempe *quod plerumque festinantibus parentibus et paratis ministris, ut parvulo baptismus detur, Deo tamen nolente nan datur, qui eum paullulum in hac vita non tenuit, ut daretur*. Verum manifestum est, loqui August. de Voluntate permissiva et consequente naturalem ordinem, minimè verò de antecedente Dei voluntate. Negandum quippe omnino est, hanc fuisse Augustini mentem, ut etiamsi ordo causarum et Ministrorum diligentia passa esset, ut infans baptizaretur, Deus tamen ut illi tribueretur, no-

luisset. Illo itaque exemplo id tantum adversus Pelagianos ostendere vult, quod si infans ad Baptismum perveniat, non ex illius meritis, id fieri, sed ex Dei miseratione: et si qui non perveniant, argumentum esse, non omnibus auxilia omnino æqualia decrevisse, ut contendebant illi. Cur ergo, ajunt, August. l. c. non hanc rationem reddit, sed in his ad inscrutabilia Dei judicia confugit? Respondemus, id facere aliquando, et quantum ad particulares causas, quas occulta providentia in aliquorum favorem Deus disponit. Vult igitur speciali favore nonnullis provisum fuisse; at non inficiatur, omnibus sufficienter ac generatim fuisse consultum, ut remedia salutis illis applicari possent. Nec est cur illud urgeant S. Prosperi Resp. 4. ad Object. Vincen. quod nempe *insanum omnino sit dicere, voluntatem Dei ex Dei voluntate non fieri:* Nam absurdum esset quidem, non fieri voluntatem Dei directam et absolutam: at non permissivam et conditionatam Dei voluntatem, ut centies dictum est; quæ sincera licet ac propria, non tamen absoluta est ac efficax, sed creaturis, quas activas et facultate electiva donatas condidit, accomodata. Nec refert in casu nostro, quod ipsa causarum naturalium dispositio sit a directa Dei voluntate: Talis est enim si consideretur in se simpliciter; non vero si consideretur quatenus impeditiva salutis; tunc enim est tantùm ex permissione divina, quæ ordinem causarum non directè disponit ad parvulorum impediendam salutem, sed indirecte illud contingit, quia ob altiores fines congruum non est, ut omnia obstacula repellat, ac per miraculum ordinem illum suspendat aut immutet. Hos autem fines indigitat Auctor De Voc. Gent. l. 2. c.

24. ubi consentaneum videri ostendit, *ut non omnibus promiscuè et æqualiter remedium salutis conferatur, ne forte nihil unquam aut de negligentia parentum vel de mortalitate infantium metuendum foret; vel locus esset suspicandi, Gratiam salutis omnibus debitam esse*. Demum inquiunt, sicut non provideretur adultorum obicem non ponentium saluti, si gratia eis non conferretur; ita nec infantibus obicem nullum ponentibus. In quo discrimen non advertunt, quod adulti capaces sint gratiæ quæ a solo Deo datur; quare si eam ipsis non conferret, merito diceretur non sincerè nec sufficienter eorum saluti consuluisse. At infantes indigent remedio Baptismi quod disposuit ut penderet etiam a causis secundis, quarum obstacula si Deus semper propulsare vellet, necesse foret, ut sæpius causæ naturales per miraculum impedirentur, quod semper Deum non decere manifestum est. Satis ergo ex parte Dei omnium saluti provisum est.

CAPUT XII.

DE GRATIA EFFICACI.

LXXXVIII. De Efficaci Gratia acturis congruum videtur, ut prius ea de re fidei dogmata declarentur. Per Gratiam itaque Efficacem ea intelligitur, quæ semper, certò et infallibiliter voluntatis consensum obtinet, undecumque hujus infallibilitatis certitudo oriatur. Tria verò de Gratia efficaci fides docet, nempe illam dari, illam voluntati non inferre necessitatem, ac de

mum illius efficaciam non esse a delectatione relativè victrici repetendam. Hinc facilè quisque intelligit, quam admirandum sit mysterium istud : *Profunda et nimis abscondita hæc quæstio est;* ajebat August. l. De pecc. meritis c. 18. adeo ut in illa definienda pene suspensus hæreret. Quid enim mirabilius quam cum efficaci Gratia liberum consistere voluntatis consensum , ut infallibiliter cum illo connexa sit, sicut certum Fide tenemus? Hæc itaque controversia toto orbe celebratissima facta est, potissimum ob *Acta Congregationis De Auxiliis* sub Clem. VIII. et Paulo V.

Ut autem hæc percipiantur facilius, ea sunt recolenda, quæ de natura humanæ libertatis tum a metaphysicis, tum a Theologis cum de actibus humanis agunt, tradi solent. Et 1. tria sunt in humana voluntate secernenda, quod nisi fiat, omnia misceantur necesse est, ac perturbentur : *Appetitus*, nempe *Voluntas*, et *Libertas* : prior est animi propensio erga bonum aliquod cognitum, cui *aversatio* opponitur, qua animus refugit ab aliquo malo percepto. Vis hæc usum rationis prævertit, sed non cognitionem omnem, nam *ut ignoti nulla cupido*, ita nullus ex ignoto metus. Appetitum hunc veteres in *Rationalem* diviserunt, et *Animalem*; et hunc rursus in *irascibilem* et *concupiscibilem* : Et rationalem in superiori Animi parte locarunt, in inferiori animalem: illum in parte intellectiva, hunc in sensitiva ; atque hinc eam pugnam explicabant, quæ inter utrumque intercedit. At Anima partes non habet. Hinc forsan intelligere volebant agendi motiva, quæ a recta ratione proveniunt, et quæ ab affectibus oriuntur. Hæc motiva et inclinationes quidam mechanicis

legibus compararunt, et veluti centripetis ac centrifugis viribus; quo exemplo usus Augustinus, ajebat, *ponderibus suis aguntur omnia: Amor meus, pondus meum*. Et hoc exemplo abusi sunt Jansenistæ, ut voluntatem trutinæ ponderibus similem fecerint, iisque obtemperare putaverint. Verum Animi pondera ab his distant omnino; cum illa libertati subjecta sint, hæc verò naturæ necessitati obediant. Huic itaque sequitur Voluntas, quæ definitur « Appetitus rationalis ac libertati parens » Voluntas enim a libertate distinguenda est, ac duæ potentiæ habendæ inter se conjunctæ: illa appetendi cum consilio, hæc eligendi. Voluntarium dicitur etiam quod fit absque externa violentia, atque uti tale etiam *spontaneum* dicitur. Voluntas itaque Mentium rationalium proprietas est, in qua ex intimo sensu hæc distinguuntur. 1. Intellectus seu cogitandi vis. 2. Perceptiones boni aut mali, quæ sunt ejus actiones. 3. Inclinationes aut aversationes inde ortæ. 4. Eligendi aut fugiendi potentia ex ratione. 5. Electio ipsa aut fuga. Quæ tamen non raro permisceri solent, eo quod libertas omnia illa moderetur, nec ulla sit voluntas sine libertate.

LXXXIX. Libertas itaque est illa Mentis facultas, potestas, vis qua possumus quidpiam eligere aut fugere prout ex ratione ac voluntate nostra libitum fuerit. Hinc et apud græcos recensiti gradus varia nomina sortiti sunt: nam iis Appetitus seu desiderium *ορεξις* dicebatur: Voluntas *βουλη*, *βουλησις*, *βουλημα*: Libertas seu potius ejus exercitium, *θελημα*. Ab Aristotele Appetitus seu *ορεξεως* tres species assignantur, *επιθυμια*, cupiditas, *θυμος*, irascibilis, *βουλησις*,

ratio et consilium. Sed spontanens et liber a græcis *εκουσιος* dicebatur, cui opponitur *ακουσιος* et *αναγκαιος*, invitus ac necessarius. Is ergo liber est, qui ex judicio ac voluntate sua aliquid operatur; eum verò minime liberum putamus, cujus agendi causa est aut motio aut passio sine ratione, ut ipse minime operetur. Cæterum vim nobis inesse activam intima conscientia dictat, quæ çum non sit unum in modum determinata, necesse est ut sit vis altera eam moderans, et motiva quædam quibus ad se determinandum utatur. Hæc motiva duplicis generis esse queunt, *rationis* nempe aut *passionis*. Cum passione determinatur, seu aliena aut externa vi, vel etiam ipsius corporis interna motione, tunc necessaria erit passio et indeliberata: si autem ratione ejusque judicio, libera erit actio. Cum autem constet non semper ab illis passionibus hominem determinari, sed frequenter a propria etiam ratione et consilio, hinc hominem libertate pollere clarum est. Distinguendum etiam est inter libertatem ipsam et illius usum; nam libertas ab usu abstracta, non voluntas est sed potestas: Usus autem libertatis et cum voluntate, et sæpe cum habitu seu cum facilitate quadam operandi conjunctus est. Ad libertatem generatim sumptam pertinent ea libertatis genera, quæ *a coactione*, *a necessitate naturæ*, et etiam *indifferentiæ* dicuntur: Reliqua genera, quæ dicuntur *contradictionis*, et *contrarietatis*, ad ejus usum pertinent; quæ sedulo observanda sunt, ut vocum dissidia resecentur. Ex his ergo infertur, actum voluntarium in morali ordine illum esse, qui a voluntate producitur cum cognitione circumstantiarum quæ ad actionem pertinent: nam juxta axiomata: *nihil*

volitum , quod non prœcognitum : ignoti nulla cupido: Involuntarium e contra, quod fit aut sine cognitione intellectus, ut infantium, aut dormientium actiones, et dicitur *necessarium* ; aut sine propensione voluntatis, ut conjectio alicujus in vincula, et *coactum* vocatur.

XC. Sed Voluntarium quantum ad rem nostram dividitur *in necessarium* , a quo voluntas , sponte licet, abstinere non potest, ut Amor quo Sancti in cælis Deum diligunt : et *liberum* , quod procedit ex mentis deliberatione , ac libero voluntatis consensu et electione . Hinc omne liberum semper est voluntarium , at non omne voluntarium est liberum ; quare proscriptæ sunt hæ Baii propp. 39. 63. « Quod spontanee fit, etiamsi necessitate fiat , liberè tamen fit » Sola violentia repugnat libertati hominis naturali « Quamvis autem voluntarium non semper sit liberum, communi tamen loquendi usu , ut diximus, confunduntur ; nec mirum , cum in hac vita vix habeatur actus voluntarius, quin simul liber non sit : nam motus primò primi inter voluntarios non recensentur. Hinc Patres voluntarium promiscuè pro libero usurpant, et pro synonimis habent, inter quos S. Thomas, qui nomen vis, violentiæ et coactionis pro qualibet necessitate sumebant, etiam naturæ ; ut Jansenius malè se gerat, dum multa illorum et præcipuè Augustini testimonia congerit, ut evincat, hominis libertatem in solo voluntario consistere , quod quam frustra conetur, infra videbitur. Itaque libertas in genere , ut vidimus, est immunitas a vinculo ; et cum duplex sit vinculum quo ligari homo possit, *coactio* nempe et *necessitas* , hinc duplex consideratur libertas, ut alia sit a *coactione,* alia a *simplici necessitate.* Coactio tamen

cum sit ab agente extrinseco illata contra propriæ voluntatis inclinationem, in voluntatem propriè non cadit, quæ cogi non potest; alias vellet simul et nollet, quod repugnat. Necessitas autem est ineluctabilis ad unum determinatio juxta inclinationem ipsius voluntatis, quæ et *necessitas antecedens* vocatur. Libertas igitur a coactione nihil est aliud quam mera *spontaneitas*, seu immunitas ab omni violentia, quo sensu Deus se liberè amat, et Sancti in cælis liberè Deum diligunt, atque homines etiam in terris felicitatem in genere liberè appetunt. Libertas verò *a necessitate simplici*, quæ etiam *electionis* dicitur, *indifferentiæ et arbitrii*, est immunitas ab invincibili determinatione ad unum, quæ in usu duplex et ipsa distinguitur, ut alia sit *Contradictionis,* ad agendum scilicet vel non agendum, cum agere et non agere contradictoria sint: alia *contrarietatis*, seu specificationis et *exercitii*, scilicet ad agendum hoc vel illud, bonum aut malum, quæ contraria sunt aut diversa. Nunc autem dogma fidei est, in præsenti statu hominem esse liberum non tantum a coactione, sed etiam a necessitate simplici et propriè dicta, quod Ecclesia docet contra Lutheranos et Calvinistas, et contra eos omnes, qui contendunt, voluntatem vel a Gratia ad bonum, vel a concupiscentia ad malum necessariò moveri: Docet quoque eandem libertatem requiri ad merendum vel demerendum, ut propterea proscripta sit ut hæretica illa Jansenii prop. « Ad merendum vel demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit immunitas a coactione ». Tenet quoque Ecclesia, quod essentia libertatis in solo voluntario non consistit, sed ad eam requiritur *indifferentia*

activa contradictionis, sive agendi vel non agendi potestas, ut constat ex damnatis Baii propositionibus supra relatis: eo quod voluntarium possit etiam necessarium esse. Quamvis autem potestas peccandi seu *indifferentia contrarietatis* ex. g. ad bonum et malum non sit de essentia liberi arbitrii, cum Deus sit liberrimus, nec tamen deficere in agendo queat; ut propterea sit potius libertatis creatæ imperfectio et conditio; et ad libertatem sufficiat indifferentiæ potestas inter duo contradictoria eligendi, ut inter actum et non actum; nihilominus certum est, peccandi potestatem pertinere ad libertatem hominis viatoris juxta illud Ecclesiast. c. 31. *Erit illi gloria æterna, qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit*. Hinc S. Th. De Verit. q. 24. a 3. ait: *Posse peccare non est de natura liberi arbitrii, sed consequitur liberum arbitrium secundum quod est in natura creata*. His prælibatis, quæ scitu necessaria videbantur, modo

XCI. Statuendum est, dari efficacem Gratiam, quæ certo ac infallibiliter voluntatis consensum obtineat: quæ tamen Gratia quantumvis efficax nullam voluntati inferat necessitatem. Utraque hujus propositionis pars fide catholica æque sancita est. Et 1. quidem pars Scripturarum testimoniis aperte fulcitur, ut Ezech. xi. *Cor novum tribuam in visceribus eorum, et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent et judicia mea custodiant, faciantque ea*. Idem legitur ibi c. 36. Psalmo quoque 118. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*. Nam ut ad Philipp. 2. ha-

betur: *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere*. Sed pluribus hic opus non est, cum in hoc asserendo cum Catholicis hæretici ipsi consentiant. At verò

2. Pars adversus recensitos hæreticos est ostendenda, qui voluntatem necessariò per gratiam ad actum induci affirmant, contra quos claræ sunt Scripturarum auctoritates; ut Josue c. 24. *Optio vobis datur, cui servire potissimum debeatis*: nempe an Deo vero, an idolis. Hinc Ecclesiast. 31. *Potuit transgredi, et non est transgressus: facere mala, et non fecit; ideo stabilita sunt bona illius in Domino*. Et 1. Cor. 3. 8. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*. At si homo necessitate impelleretur, mercedem nulla mereri posset. C. 15. ait quoque Apost. *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: Non ego autem, sed Gratia Dei mecum*. Quo liberam voluntatis cooperationem significat; nam longe aliter loquitur, cum de indeliberatis concupiscentiæ motibus sermonem habet, quos impedire non poterat, Rom. 7. inquiens: *Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*. 2. Id Conciliorum ostenditur auctoritate. Nam Constantiense Wiclefum damnavit, quod liberum sustulisset arbitrium: ac Tridentinum Sess. 6. c. 4. habet: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari Deo excitanti atque vocanti . . nec posse dissentire si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passivè se habere, anathema sit*. Ubi non tantum, ut contendit Iprensis, Conc. hic confodit primum Lutheri errorem, liberum nempe arbitrium ad Gratiam passivè se habere

et esse veluti instrumentum inanime; sed etiam errorem alium quo cum Calvino ajebat, non esse quidem merè passivum, nec sub gratia coactum, sed tamen sub gratia necessariò determinari; quare Concilium definivit, posse voluntatem gratiæ dissentire, et ideo esse immunem a simplici necessitate; ut Canonem hunc orthodoxi omnes intelligunt, et etiam in suo *Antidoto* ipse Calvinus. 3. Id elucet ex damnata Jansenii prop. supra relata. Nam si ad merendum non sufficit libertas a coactione, certe ad hoc requiritur indifferentiæ libertas, sive immunitas a simplici necessitate. Hinc damnata est Quesnelli hæc prop. 10. « Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil retardare potest aut impedire» Volebat enim gratiæ resisti non posse, quod hæreticum est. 4. Patres quoque maxima consensione hoc dogma tuentur, sed Augustinus sufficiat, cujus auctoritate pessimè adversarii abutuntur. Ait ergo de Sp. et Lit. c. 3. *Cum potestas datur, non necessitas utique imponitur*. Et c. 34. *Agit Deus ut velimus et credamus ... sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est ... Profecto ipsum bonum velle Deus operatur in homine et in omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est*. Clara ergo mens est S. Doctoris 5. Demum momentis Theologicis idipsum conficitur. Nam 1. difficilis semper et ardua visa semper est omnibus Gratiæ et liberi arbitrii concordia; ut Augustinus l. de Gr. Chr. c. 47. scriberet *Ista quæstio est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium negari Dei gratia videatur: quando autem asseritur Dei gratia, libe-*

rum arbitrium putetur auferri. At si a gratia voluntati necessitas inferatur, non difficilis amplius ea concordia esset; sicuti eâdem posita necessitate, non difficilis amplius foret, Dei præscientiam cum humanis actibus concordare. 2. Eâdem posita, forent inutilia prorsus præcepta Dei, consilia, cohortationes, admonitiones, reprehensiones, exempla, præmia et pœnæ, ut inutilia sunt brutis animantibus libertate destitutis; quæ tamen ut impia et absurda execrantur omnes. Meritò igitur ea gratia inferens necessitatem reprobanda est.

XCII. Mirum, quot congerant hæretici adversus hoc dogma adeo solemne et sanctum. Et 1. ex Scripturis illud Psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus*. 1. Cor. 12. *Qui operatur omnia in nobis*. Ad Philip 2. *Qui operatur velle et perficere*. 1. Jo. 3. *Qui natus est ex Deo, non potest peccare*. Ad Ephes 2. et alibi, peccatores dicuntur mortui ac sepulti. Verum si cor in nobis creatur, neccessitate trahimur: et si peccatores mortui sunt, nullatenus Deo cooperabuntur cum eos voluerit revocare ad vitam. Sed hæc parvi quidem momenti sunt contra allata argumenta atque doctrinas, sed facilem interpretationem recipiunt: Nam ut ad 1. responsio detur, certum est, cum homo justificatur, minimè ejus cordis substantiam creari: Ea igitur verba significant « Munda cor meum Deus per gratiam tuam » Ad 2. Fatemur, Deum omnia operari in nobis, cum opus bonum totum gratiæ tribuendum sit: tamen nonnisi nobis cooperantibus salutem nostram operari vult, ut ait Apost. *Non ego, sed gratia Dei mecum*. Ad 3. Operatur Deus velle et perficere, nos adjuvando et excitando ut velimus; itaque non sine nobis, dicitur enim:

Cum timore et tremore salutem vestram operamini. Ad 4. Qui natus est ex Deo, seu qui Caritatem habet non peccat nec peccare potest, dum manet in Caritate et Caritas in eo; non vero quod Caritatem amittere, vel eam rejicere nullatenus possit. Ad 5. Peccatores cum gratiæ mortui sint, nequeunt suis viribus recuperare gratiam, nec se ad vitam gratiæ recuperandam disponere; at id efficere possunt Dei gratia adjuti. Sed hæc comparatio in omnibus urgenda non est: Nam cadavera omni vita destituuntur; at peccatores vita naturæ vivunt, qua gratiæ obtemperare queunt, atque ita revocari ad vitam: hinc eis dicitur: *Surge qui dormis et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus*.

XCIII. Alia opponunt ex Patribus: Nam ut voluntas sit libera Patres, ajunt, unicam adstruunt immunitatem a coactione, ut sæpe Augustinus, Prosper autem libertatem vocat « Rei sibi placitæ spontaneum appetitum » . Bernardus ait « Quidquid est voluntarium est liberum » Damascenus inquit « Arbitrii libertas nihil aliud est quam voluntas » Ita Anselmus et Thomas eodem modo loquuntur. Verum jam adnotavimus, Patres inter voluntarium et liberum sæpe non distinxisse; eos tamen credidisse non modo coactionem sed et simplicem necessitatem arbitrio adversari, ut ex innumeris eorum testimoniis ostendi posset. Nam coactionis nomine necessitatem etiam intelligebant, et cogere apud ipsos idem erat ac necessitatem inferre, sicuti per voluntarium ac spontaneum id intelligebant, quod foret ab omni necessitate immune. Non enim tunc in usu erant distinctiones variæ de voluntario et coacto, quibus recentium hæreticorum subtilitates locum dedere. Iis ergo locu-

tionibus intelligebant, ad libertatem requiri immunitatem a quavis necessitate, ac potestatem unum vel alterum eligendi. Actus autem voluntatis necessarios appellabant *naturales*, non liberos, quos non a voluntate sed a natura fieri affirmabant. Quid ergo, ajunt, Augustino faciemus, qui sæpius dicit: *Deum in nobis operari ipsum velle: bonos discernere a malis: volentes de nolentibus facere?* Tum ipsi Gratia Victrix dicitur, *præbens vires efficacissimas voluntati: a nullo duro corde respui: indeclinabiliter et insuperabiliter operari*. Respondemus, singulos Theologos hæc verba suis sententiis facile accommodasse. 1. Quidam volunt, his locutionibus solam exprimi prævenientem Gratiam, quæ prima est et præcipua operis causa, cui bonum opus totum tribui debet. 2. Alii de Gratia efficaci intelligunt, sive ex consensu ipsa efficax sit, sive ex congruitate circumstantiarum, sive ex Dei præscientia. 3. Demum explicant alii de gratia intrinsecè, et ex natura sua efficaci, sive physicè determinet, ut placet Thomistis, sive moraliter, ut aliis arridet. Vox autem *insuperabiliter* juxta ipsos significat *infallibiliter*. Verum hi omnes sub Gratiæ ictibus eligendi agnoscunt potestatem. Sed Patres, inquiunt, inter quos Augustinus, Gratiam Creationi, Christi miraculis, et ipsi comparant Incarnationi; ut hinc necessario operetur. At hisce comparationibus usos fuisse dicimus, ut prævenientem et gratuitam significarent Gratiam (V. sup. N. XXVIII.); non verò ut explicarent, quonam modo Gratia operetur, neque ut ostenderent, hominem sub gratiæ imperio libertate destitui; quin ex Augustini Serm. 15. illud vulgò profertur: *Qui creavit te sine te, non salvabit*

te sine te. Sed et plures prop. quesnellianæ ut a 21. ad 25. in quibus præfatæ adhibentur comparationes, solemni Ecclesiæ Judicio proscriptæ sunt, eo quod iis abutebatur Quesnellus, ut contenderet a gratia perimi libertatem. Tamen ajunt, August. De Gr. et lib. arb. c. 17. scribit: *Ut velimus sine nobis operatur, cum autem volumus, et sic volumus ut operemur, nobiscum cooperatur*. Qua auctoritate utique malè intellecta hæretici triumphum occinunt. At frustra: Nam hac loquendi ratione vult S.D. Deum nos sine nobis movere, inspirare, excitare ad volendum; ut hæc sit gratia præveniens, quæ a solo Deo est; non vult autem, ipsum velle, ipsumque voluntatis actum sine nobis cooperantibus produci, ut ex postremis ejus verbis elucet. Cur ergo, instant, August. censet Ench. c. 105. hanc gratiam necessitantem conciliari cum libertate? Scribit enim « Postea in cælis sic erit, ut velle malè homo non possit, nec ideo libero carebit arbitrio: multo quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit servire peccato ». Animadvertant hìc itaque adversarii, hoc unum Augustinum velle, Sanctos in cælis peccare non posse; sed posse tamen hoc vel illud velle, quod non removeat a Fine; et sic eos esse liberos quantum ad aliqua, atque hoc arbitrium esse perfectius utpote a miseriis, erroribus et a peccato immune, imo et a potentia peccandi, quæ conditio est præsentis status, quæ defectus potius est quàm perfectio. Tunc igitur libertas erit ordinatior; at in bono sectando tum merito, tum libertate carebit.

CAPUT XIII.

DE JANSENII SYSTEMATE CIRCA EFFICACIAM GRATIÆ.

XCIV. Tertium modo statuendum est catholicum dogma circa efficaciam Gratiæ Divinæ, eam nempe minime in delectatione relativè victrici consistere sensu ab Jansenio intento. Ut autem ejus systema assequamur, sciendum, auctorem hunc in prægrandi illo Volumine, quod titulo *Augustinus* ei insignire placuit, quasi palmare doctrinæ suæ principium tradere, quod humana voluntas per Adæ peccatum liberum arbitrium amiserit, libertatem nempe indifferentiæ et contradictionis, seu facultatem opposita eligendi; cujus loco duplicem delectationem invexit, terrenam scilicet quæ ad malum, cælestem quæ ad bonum trahat, Bajum nempe secutus, qui, ut vidimus, nullum esse medium voluit inter Caritatem, et vitiosam cupiditatem. Cum verò duplex hæc delectatio hujus systematis clavis sit ac principium, quid ea sit et quomodo in voluntatem influere dicatur expendere est opus. Delectatio itaque juxta Jansenium (l. 4. de Gr. Chr. c. 11.) « est vitalis animi motus quo voluntas versus objectum sibi jucundum inclinatur » Dividiturque 1. *in indeliberatam*, quæ voluntatis consensum antecedit: et *deliberatam* quæ ejus consensum includit vel sequitur. 2. in *cælestem* ac *terrenam*, uti dictum est. 3. *in victricem* quæ effectum obtinet, et *victam seu parvam*, quæ effectu frustratur. Hæ ambæ delectationes ita pugnant inter se, ut volun-

tas majori delectationi semper et necessario obsequatur » Quando cum terrenis delectationibus dimicamus, ait Jansenius ibid. c. 9. nisi major fuerit cælestis delectatio, fieri non potest, quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur » At necessitas quam ipse admittit, non *absoluta* est, sed *relativa*. Nam uti necessitas ita et potestas duplex distinguitur: *Potestas absoluta* ea est, qua Voluntas actum absolutè elicere potest sola spectata illius actus natura, abstrahendo ab actualibus circumstantiis et a concupiscentiæ gradibus, quibus actus sollicitatur: non vero relatè ad actuales in quibus versatur circumstantias. Sit ex. g cælestis delectatio seu gratia ut duo, ac terrena ut quatuor: aderit potestas absoluta efficiendi bonum, non quidem in hac circumstantia, sed in alia, nempe si terrena delectatio esset tantum ut unum. *Potestas relativa* est, qua voluntas potest hîc et nunc operari etiam relativè ad actuales circumstantias, et posita quacumque actuali contraria delectatione. Hinc facile intelligitur, quid *absoluta necessitas* sit, et quid *relativa*. Prior est quæ voluntati quocumque in casu imprimit necessitatem: posterior quæ necessitatem imprimit, cum vis determinans major est, non verò cum minor; ex. g. cum Gratia validior est quam concupiscentia, et e contra. Cui consentit Ant. Arnaldus in dissert. de Gratia Efficaci par. 2. art. 4. inquiens: « Justum, cui gratia efficax defuit, non quidem absolutè, sed in illa hypothesi (seu relativè) sine hac gratia non potuisse bonum opus efficere » Hinc colligitur quoque. Gratiam dici *absolutè victricem*, cum semper et infallibiliter effectum obtinet, ac facit, ut homo bene operetur, quæcumque sit concu-

piscentia opposita: *Relativè autem victricem* esse, cum non semper effectum obtinet, sed tantum cum Gratia major est, et opposita concupiscentia validior. Tunc enim, si fortior fuerit concupiscentia, Gratia succumbit, vincitur, invalida fit, et gratia parva vocatur. Hæ binæ igitur delectationes per gradus agunt et quasi mechanicè, non secus ac in lancibus pondera; ut ergo minus pondus nunquam majus superare poterit, nisi illud augeatur: ita nec delectatio minor nunquam superiorem vincet. Perfecta igitur potentia illa, quam Jansenistæ ad fucum faciendum admittere jactitant, est potentia tantum absoluta, quæ effectum obtinere potest in circumstantiis in quibus homo non reperitur, quæque propterea nihil homini prodest.

XCV. Ajebat Arnaldus: Voluntas cum gratia parva operaretur bonum si vellet ac fortiter vellet. Deinde, subdebat, gratia hæc desideria gignit inefficacia, et conatus qui majorem gratiam provocare possunt; est ergo remotè sufficiens. Verbis hic illudere tentat Arnaldus: Nam ad 1. Voluntas operaretur quidem bonum, si vellet; sed in iis circumstantiis nullatenus velle potest; ut candidè Jansenistæ fatentur. Ad 2. Licet gratia parva inefficacia pariat desideria, producere tamen non valet actum ad quem datur. Non adest ergo sub gratia parva vera potestas, potestas relativa ad opus bonum, urgente ex adversò ardentiore concupiscentia; sed potestas illusoria dumtaxat et vana: Nec uberiorem gratiam illa parva advocat unquam; tunc enim hæc uberior semper illos motus sequeretur, quod nec fit, nec fieri volunt. Sedulo igitur adnotandum est, in Janseniano systemate potentiam absolutam ad bonum, aut

viceversa, semper esse ab actu sejunctam, neque cum eo hic et nunc posse conjungi: relativam autem potentiam necessario et semper conjungi cum actu; unde patet, non absolutam necessitatem, sed relativam dumtaxat Janseninm statuisse. Quare cum innuit, sub delectatione parva nullam existere potestatem, de relativa intelligit, sicut et ipsius discipuli faciunt. Si quis ergo diceret, Jansenium sub delectatione minori absolutam potentiam non admisisse, et ob hoc fuisse hæreticum: sine ullo autem errore propugnari posse, nullam relativam potestatem adesse in voluntate cum vincitur, atque in hoc positam non esse Jansenii hæresim; si quis, inquam, id assereret, manifestò falleretur, nec hæreseos labem declinare posset. Hinc quotiescumque Jansenistæ objiciunt, per gratiam parvam potestatem veram æque conferri ac per Thomistarum sufficientem gratiam, falsa loquuntur; Nam minima Gratia juxta Thomistas potest in quibuslibet circumstantiis cuilibet resistere concupiscentiæ, quod ipsi nolunt, et paradoxum vocant.

XCVI. Videndum modo qua ratione explicet Jansenius in nobis liberum existere arbitrium. Cum Tridentinum adversus Calvinum definivisset, illud post Adæ peccatum non fuisse extinctum; hinc ne cum eo sentire videretur, amissum quidem liberum arbitrium nunquam dixit, aliis tamen verbis illud sustulit. Nam 1. docuit, non amplius nunc libertatem illam extare, qua Adam innocens fruebatur pro nutu nempe ad opposita se inflectendi; vult tamen sub expositis delectationibus verum existere Arbitrium. 2. Ad hanc libertatem sufficere statuit, si actus fiat cum inclinatione ac delectatione, sitque a voluntate; ita ut quidquid sit voluntarium etiamsi ne-

cessarium, sit verè liberum; vultque propterea solam necessitatem coactionis libertatem auferre; imo contendit, quò fortior sit delectatio, eò liberiorem voluntatem esse. Ait etiam, volitionem hanc non esse liberam, nisi electio adsit, et voluntatis deliberatio, quæ juxta ipsum est mera advertentia et ad objectum reflexio quod nos delectat: electio autem est tantum adhæsio cordis huic objecto in quod necessario fertur humana voluntas; nec ullo modo potestas eligendi, vel non agendi; ut omnes ex intima conscientia norunt, et Ecclesiæ auctoritate sentiunt; quare inter Calvini et Jansenii hæresim non esse nisi vanum et illusorium discrimen. Nec enim Calvinus unquam inficiatus est, voluntarios esse actus nostros, quod intimo sensu constat, sed volebat, libertati solam externam repugnare vim et coactionem, non vero simplicem necessitatem, quam Arbitrii loco ponit Jansenius, qui a Calvino verbis quidem, non autem re dissentit. Vix credibile est quot subtilitates ejus patroni investigaverint, ut hunc errorem contegerent. Verum quidquid excogitaverint, propriè dicta et relativa potestas esse non potest, nisi voluntas etiam parva gratia adjuta in quibusvis circumstantiis veré possit ipsum actum operari bonum, quod ni ita sit, vera non adest libertas, liberumque arbitrium prorsus convellitur. Ea itaque delectatio relative superior et victrix basis est ac fundamentum Janseniani systematis, ut Auctor ipse fatetur l. 7. de Gr. Ch. c. 6. inquiens « Hæc est vera et genuina basis doctrinæ cælestis Doctoris (Augustini), quæ huic veluti cardini innititur, coque subtracto, eam tueri impossibile est» Revera ex hac sua relative victrici delectatione quinque ex suo libro damnatæ propositiones veluti a fonte rivuli profluunt.

XCVII. Cum vero Jansenii asseclæ perpetuò clament idem cum Thomistis sentire, utrorumque systematum discrimen adnotare opus est, et hanc ab eis larvam auferre. Et quidem immensam inter utrosque distantiam adesse constat. 1. Ex quo Jansenii doctrina ab Ecclesia proscripta sit, non verò Thomistarum sententia. 2. Jansenius ipse octo profert discrimina *inter adjutorium medicinale* a se propugnatum, et *physicam* thomistarum *prædeterminationem*, eaque tuentur tum ejus patroni, tum defensores Thomismi Lemos, Alvarez etc. 3. Janseniani gratiam relativè sufficientem semper negarunt: at verò Thomistæ eam semper sufficientem agnoscunt, qua et mandata Dei possibilia fiant, et obstacula superari possint, quare apud ipsos celebre est illud S. Thomæ principium 3. p. q. 70. a. 4. *Minima gratia cuilibet concupiscentiæ resistere potest, et vitare omne peccatum*. 4 Ex Jansenii systemate quinque damnatæ propositiones spontè fluunt; at non ex Thomistarum principiis, Gratia sufficienti admissa, qua præcepta servari, ac tentationes immediate vel mediate superari queant. Non quiescunt tamen Jansenistæ; nam esto, inquiunt, a Thomistis discriminemur; at systema nostrum ab Augustinensium schola, qui gratiæ efficaciam a delectationibus arripiunt, ne latum quidem unguem exorbitat. Oppido tamen falluntur, qui nec sub Augustinensium clypeo valent se tueri. 1. Enim vires electivas per Adæ peccatum minime fuisse extinctas hi affirmant, ut Jansenistæ contendunt. 2. Gratiæ efficaciam non in delectatione collocant relativè victrici, sed in delectatione victrici simpliciter, cui verè et actu queat voluntas obsistere, quemadmodum potest repu-

gnare physicæ promotioni; et si qui sunt, ut P. Bertius, qui delectationem relativè victricem adstruunt, hanc tamen ullam voluntati inferre necessitatem negant. 3. Quia præter Efficacem, aliam agnoscunt gratiam relative sufficientem, quæ veram det potestatem ad quamlibet urgentem superandam tentationem. Nec nos difficultates movent quas nonnulli congerunt, ut ostendant sub promotione ista sive physica sive morali non minus invincibiliter et necessario voluntatem agi quàm sub relativè victrici delectatione. Ad ea enim hi Theologi suas dant solutiones, quæ seu valeant, seu non, in præsenti negotio parum refert. Nam si valent, grande igitur discrimen inter utrumque systema intercedit: si non valent, inde ad summum sequeretur malè Thomistas ratiocinari, et falsa ex eorum systemate consectaria inferri; at cum falsa aut prava consectaria hæc minimè ipsi admittant; nec circa promotionem, quam tenent, quidquam ab Ecclesia definitum sit, latissima semper aderit inter Jansenianos errores ac Thomistarum doctrinam intercapedo, ut diutius in his immorari opus non sit.

CAPUT XIV.

JANSENIANUM DE RELATIVÈ VICTRICI DELECTATIONE SYSTEMA CONVELLITUR.

XCVIII. Ut Jansenistæ hæreseos notam declinarent, verbis quidem liberum hominis arbitrium fassi sunt, re autem prorsus sustulerunt, contendentes, ut jam monuimus, libertatem in solo voluntario consistere,

seu in sola a coactione libertate, non verò a simplici necessitate; ita ut quidquid fieret juxta voluntatis inclinationem, licet voluntas in eo nec suspensa hærere posset, nec inclinationi resistere, nec oppositum operari, liberum tamen dicendum esset. Volunt itaque eam inclinationem, quam delectationem relativè victricem vocant, vel esse a gratia Divina, et invincibiliter actum bonum efficere: vel esse a concupiscentia mala, ac tunc quin obsistere queat, libenter licet sive spontanee, operari malum. Contra monstrosum errorem hunc et manifestam hæresim, dogma catholicum tuendum superest. Statuendum itaque est « Vim et efficaciam gratiæ non esse repetendam a delectatione superiori seu per gradus relativè victrici, in sensu ab Jansenio propugnato; atque hæc prop. Fide catholica tenenda est; eaque iuvictis ostenditur argumentis: Atque 1. ex antecedenti propositione, qua demonstratum est, Gratiam quamtumvis efficacem nullam afferre voluntati necessitatem; quam tamen ingerit exposita delectatio victrix, qua major delectatio vincit minorem, quin voluntas eam declinare valeat; sicut necesse est trutinæ brachium deprimi a quo pondus suspenditur altero gravius, uti loquitur Jansenius ipse. Hæc igitur efficacia rejicienda est. 2. Id ostenditur luculentissimè ex allata supra Conc. Tridentini Definitione Sess. 6. can. 4. Homo igitur Gratiæ, sive Deo excitanti, asssentire potest, vel dissentire, ut relatè ad eam gratiam possit etiam oppositum actum elicere; ut damnata sit x. Quesnellii prop. qua affirmatur: « Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare « 3. Ex damnata secunda Jansenii prop. « Ad merendum

vel demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione » 4. Ex damnatis tribus propp. 21. 23. 24. pseudosynodi Pistoriensis in quibus hoc Jansenianum systema adstruebatur. 5. Ex eo quod voluntas juxta Scripturas, ut etiam ex intimo sensu patet, non semper majorem sequatur delectationem; nam ex timore sæpe agit, qui delectationi certè opponitur, ut Jerem. 32. 40. *Timorem meum dabo in cor eorum, ut a me non recedant*. Matth. 10. *potius timete eum qui potest animam et corpus perdere in gehennam*. Et ad Philipp. 2, *Cum metu et tremore salutem vestram operamini*, et aliis similibus. Hinc Trident. anathemate percellit, qui dixerit, *metum ... quo a peccato abstinemus, peccatum esse*. At in hac formidine qua peccator ad Deum confugit, quomodo Jansenius videre potest illam suam gratiæ suavitatem, dulcedinem, delectationem? 6. Id evincitur S. Augustini auctoritate, qua tantopere ille abutitur. Nam. 1. multoties docet, ex timore hominem ad agendum induci. 2. Alibi bonarum actionum alia motiva assignat, ut de Corr. et Gr. c. 5. *Non vis tua tibi vitia demonstrari, ut fiat tibi utilis dolor, quo medicum quæras ... quasi nihil agat timor correpti hominis, vel pudor vel dolor?* Præterea l. 2. De pecc. meritis c. 10. docet, homines aliis motivis quam delectatione ad peccandum induci, dum ait: *Etiam illa peccata justè imputari, quæ non delectationis illecebra committuntur, sed causa devitandæ molestiæ alicujus, aut doloris, aut mortis*. Imo affirmat, non semper hominem ex majori delectatione operari ut de seipso testatur l. 8. Confess. c. 8. *Non*

faciebam, quod incomparabili affectu mihi magis placebat: Ubi S. D. indubiè loquitur de indeliberata delectatione, cum certum sit, voluntatem semper sequi delectationem deliberatam? quare illud Augustini effatum millies a Jansenio repetitum « Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est » verum esse nequit, si de prævia et indeliberata delectatione, ut ipsi placet, intelligatur. Idem S. D. Serm. 159. c. 4. post descriptam utriusque delectationis pugnam in homine justo, pergit « *Decertant in te duæ delectationes: modo interrogo te, quid præponas? . . præponite delectationem mentis*. A neutra ergo necessario quemquam rapi sentiebat Augustinus, qui sæpe docet, Deum miris et ineffabilibus modis, diversis et innumerabilibus hominem ad se attrahere atque vocare. Abutuntur ergo Augustini auctoritate, qui pro jansenii systemate stultè pugnant. 7. Idem ostenditur ex S. Thoma 3. p. q 62. a. 6. et 70. a. 4. cujus hoc est palmare principium, nempe, *Minimam gratiam posse resistere cuilibet concupiscentiæ, et vitare omne peccatum*. Non ergo voluntas a majore abripitur delectatione. 8. Denique hoc systema est rejiciendum ob suam novitatem et absurditatem quod Jansenius non nisi quibusdam Augustini testimoniis malè intellectis adstruere tentavit, aliis Patribus omnino rejectis, quasi in mysterio Gratiæ nihil viderint; quod nisi summa temeritate ac impietate dici potest.

XCIX. Sed audiamus quid ex Augustino proferant adversarii. Ajunt, affirmare S. D. sine delectatione voluntatem nullatenus moveri posse; ut l. 1. ad Simpl. q. 2. « Quis animo amplectitur aliquid, quod non eum de-

lectet ? . . . Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animam; moveri nullo modo potest ». Hi tamen textus et similes sunt moraliter intelligendi de iis quæ fiunt crebro et frequentur, iisque significatur, voluntatem ut plurimum delectationibus moveri, licet interdum contingat, ut moveatur atque ad Deum trahatur variis aliis et ineffabilibus modis, per timorem nempe, per dolorem, pudoremque, ut ipse S. D. affirmat. Verum hoc in loco, ut alibi sæpe, delectationis nomen pro omni motu voluntatem præveniente usurpat, qui delectatio dicitur, quod aliquam semper ad objectum inclinationem ac propensionem includat; dicere vult igitur, nunquam voluntatem aliquid sine motivo aliquo velle. Sed gravius quid se opponere opinantur ex illo textu in c. 5. Epist. ad Galat. nempe: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est.* Quem locum aureis literis scribendum esse censet Jansenius. At primo, mirum est, quod ea verba in sui erroris fulcrum proferat Jansenius, quæ Augustinus ante Episcopatum exaraverat, quo tempore semipelagianorum erroribus Augustinum implicatum fuisse ex ipsius humili confessione constat. Quomodo ergo tunc gratiam necessariò determinantem prædicare potuisset ? Nulla ergo inde gratia necessitans erui potest. Verum illud Augustini dictum hunc sensum præsefert. « Quod amplius nos delectat delectatione deliberata, secundum id operemur necesse est, necessitate scilicet consequenti » non vero antecedenti, et indeliberata delectatione. Vult ergo August. nos semper agere externè id, cui per electionem et deliberatum voluntatis actum magis adhærescimus: at non sensus est, a delectatione

indeliberata necessariò consensum rapi, ut somniat Jansenius; quod ex contextu liquet; non enim ait S D. Qnod amplius nos delectat, id velimus necesse est, sed «operemur necesse est» Quod nisi esset, secum ipse pugnaret Augustinus, ut ex prolatis textibus constat.

C. Hæc autem licet ex relatis supra doctrinis de Voluntario et libero pendeant, ut ea nihilominus clariora fiant, ex SS. Augustino et Thoma expedit exponere seriem actuum qui occurrunt, dum se voluntas determinat. 1. In nobis sine nobis quidam excitantur motus et propensiones in objecta ab intellectu exhibita. quæ delectationes indeliberatæ vocari ut plurimum possunt, et quas Jansenius vult rapere necessariò, spontè licet, voluntatem, quam propterea liberam dicit. 2. Voluntas eas propensiones advertens, aliquam approbat et in ea sibi deliberatè complacet, in eamque majori fertur delectatione: et hæc delectatio est deliberata, quam sæpe agnoscere oportet, sed quam non agnoscit Jansenius. 3. Huic deliberatæ delectationi accedit electio, seu propositum juxta eam inclinationem agendi. 4. Subsequitur rationis imperium, quod vocant judicium practicè practicum, quo mens absolutè jubet ut actio fiat juxta electionem. 5. Denique necessariò necessitate consequenti actio externa elicitur. His omnibus gradibus, (qui sæpe adeo celeriter fiunt ut non advertantur), in humanis actibus consideratis, manifestum est, Augustinum loqui nunc de indeliberata, nunc de deliberata delectatione, et aliquando de consequente necessitate operis, ut nullum fulcimentum pro suo systemate inde eruere queat Jansenius, sed omnia potius turbare conetur.

CI. Opponunt rursus, Gratiam ab August. passim

dici victricem, et quæ præbeat vires efficacissimas voluntati: quæ a nullo corde respuatur, sed *indeclinabiliter*, et *insuperabiliter* operetur. Quæ cum expedita consentiendi facultate conciliari non posse videntur. Cui difficultati jam supra satisfactum est, his nempe locutionibus nihil aliud adstrui quam efficacem gratiam, qua Deus certò ac infallibiliter obtinet voluntatis consensum, undecumque tandem oriatur efficacia illa; at nullo modo ostendi, veram agendi necessitatem a gratia induci. Quamvis enim in voluntatem Deus efficaciter agat, velle tamen et nolle est in libertatis potestate, ut sæpe August. docet. Agit enim Augustinus cum pelagianis, qui dumtaxat quandam mentis illustrationem esse sufficientem contendebant, eisque ostendit gratiæ prævenientis necessitatem ad opus bonum, quæ voluntatem quoque sanet et adjuvet. Non ergo gratiam considerat ut in se efficacem, cum de modo efficaciæ illius cum pelagianis quæstio non esset; at de illa agit ut ad bonum peragendum necessaria. Hoc sensu Deus vires efficacissimas præbere dicitur, eo quod voluntas sine gratia nihil possit, et cum ipsa omnia possit; eoque sensu ajebat Apostolus: *Omnia possum in eo qui me confortat*. Itaque August. De Gr. et lib. art. c. 16 ait: *Certum est, nos mandata servare, si volumus; se quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus . . . Dat enim Deus quod jubet, etiam cum adjuvat ut faciat, cui jubet*. Distinguit ergo S. D. subitam Gratiæ motionem quæ indeliberata est, et in nobis fit sine nobis, quæque a Gratia sola est, atque præveniens dicitur, cum ait: *Præparatur voluntas a*

Domino; et hanc magnam et efficacissimam vocat. Sed Gratiam hanc ab illa discriminat, cui voluntas liberè consentit et cooperatur, cum dicit: *Dat Deus quod jubet, etiam cum adjuvat ut faciat, cui jubet*. Ita cum illo testimonio utitur: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum*: nihil intendit aliud, quam demonstrare Gratiæ prævenientis necessitatem. Eo enim in sensu hæc verba accipienda sunt ac illud Apostoli: *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei:* super quo ait De Corr. et Gr. c. 2. *Aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant; et ad hoc eis ostenditur, quid agere debeant . . . Quandò autem non agunt, sive omnino non faciendo, sive non ex caritate faciendo, orent, ut quod nondum habent, accipiant*. Et paulo post: *O homo in præceptione cognosce qui debeas habere: in correptione cognosce tuo te vitio non habere: in oratione cognosce, unde accipias quod vis habere*. Non ergo ex illis phrasibus, *trahi a Patre*, et *Spiritu Dei agi*, gratiam designat efficacem in sensu adversariorum; sed prævenientem atque excitantem gratiam et adjuvantem ostendit, quæ vires præbet voluntati, ut opus bonum ac supernaturale operetur. Ruit igitur delectatio victrix Jansenistarum, in quorum errore, cum terrena delectatio præ Cælesti longè frequentius inter homines dominetur; hinc fit, ut carnalis potius quàm spiritualis delectationis vindices ostentare se debeant.

CAPUT XV.

QUAMNAM GRATIAM PELAGIUS ET SEMIPELAGIANI CONCESSERINT, INQUIRITUR.

CII. Controversia hæc duo spectat. 1. Ut falsitas ostendatur quartæ Jansenii propositionis. 2. Ut scopus et status quæstionis dignoscatur a S. Augustino intentus dum contra Pelagianos et eorum surculos disputabat, et hinc ratio reddatur plurium responsionum, quæ supra datæ sunt. Nam inter catholicos etiam disceptatio viget, an Pelagius aliquando interiorem illustrationis gratiam concesserit, licet nec gratuitam, nec necessariam eam vellet, sed ad bonum solummodo facilius operandum. Id impugnabant Suarez, Bellarminus, Noris: dum alii hoc asserebant, etsi concederent, voluisse pelagium, per merita naturalia eam acquiri. Inquirunt etiam, an hic ante Zozimi R. P. Decretum gratiam aliquam voluntatis internam agnoverit; quod nosse gravioris momenti est, ut plures Augustini textus intelligantur, et confutetur Jansenius, qui contendit ante Decretum illud gratiam voluntatis cui obtemperare possit vel non, Pelagium concessisse; a quo Augustinus gratiam de fide credendam postulaverit, cui resisti non possit. At quàm falso id jactet Iprensis, liquet ex S. Doctoris verbis l. De Gr. Christi, quem librum exaraverat anno 418. tempore quo Zozimus hæresim pelagianam suo Decreto confixit: Ait enim c. 41. *Nullum auxilium gratiæ credunt pelagiani, qua naturæ possibilitas adjuvetur, nisi in Lege atque doctrina;*

ita ut ipsas quoque orationes , ut in scriptis suis apertè affirmat Pelagius , ad nihil aliud adhibendas opinetur , nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur , non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum esse didicerit , etiam dilectione et actione perficiat . Et infra : *Voluntatem autem et actionem nullo Dei adjutorio existimat indigere .* Gratiam itaque voluntatis postulabat S. Doctor , quam tunc Pelagius inficiabatur , eo quod nullum agnosceret originale peccatum, nullamque voluntatis infirmitatem . Sed et ex illius verbis , quæ c. x. adducit S. D. liquet , illustrationem intellectus tantum cognovisse , unde modo aliquo et mediatè excitatur voluntas . Quare c. 29. relatis his Pelagii verbis « Ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium , facilius possint implere per gratiam » Statim addit S. D. *Tolle facilius et non solum plenus , verum ètiam sanus est sensus .* Inde nonnulli inferre vellent , Augustinum agnovisse voluntatis gratiam a Pelagio concedi . Frustra tamen ; cum ibi non de essentia gratiæ , at verò de ejus necessitate agat S. D. circa quam ait, sanum esse Pelagii sensum , si vocem *facilius* de medio tollat . Quod si *contra duas epist. pelagian. , contra Julianum , de Gr. et lib. arb. , De corr. et Gr. , ac de Præd. SS.* docet pelagianos , voluntatis gratiam confessos esse , nil mirum , cum hi libri contra pelagii discipulos scripti sint , qui magistri errorem temperarunt , et aliquam voluntatis gratiam Zozimi Decreto coacti saltem verbo tenus fassi sunt .

CIII. Itaque post eam epocham , post a. scilicet 420. totus est S. Doctor , non ut ostendat gratiæ naturam , sed illam esse gratuitam , nec pro meritis dari , sed præ-

cedere merita, illamque necessariam esse. Hinc l. De Gratia et lib. arb. c. 14. scribit: *Cum ergo in his convicti fuerint* (de existentia nempe ac necessitate gratiæ) *ad hoc se convertunt, ut quocumque modo conentur ostendere, Gratiam Dei secundum merita nostra dari*. Hanc enim voluntatis gratiam triplici errore commaculabant. 1 Illam non ad inchoanda, sed ab bona opera complenda dumtaxat necessariam esse. 2. Nec illam gratuitam existimabant, sed secundum merita nostra dari. 3. Eam non absolutè, sed ex parte necessariam agnoscebant, nempe ad bonum facilius operandum; quos errores sæpius impugnat S. D. Verum hæc voluntatis gratia, quam postea admisere, non erat certè gratia per se efficax, multoque minus necessariò determinans, qui gratiam ideo negabant, quia metuebant, ne læderet libertatem. Quænam ergo erat gratia illa, quam S. D. a pelagianis postulabat agnosci? Non una ea de re sententia. Thomassinus gratiam sanctificantem esse vult; quam non fuisse, ex pluribus patet S. Doctoris dictis, ex quibus tum mentis illustrationem fuisse, tum motionem voluntatis eruimus; etiamsi aliquando, ut de Gr. Chr. c. 30. testetur, pelagianos sanctificantem gratiam non agnovisse, et per regenerationem intellexisse tantùm peccata non imputari, ac voluisse neminem originali noxa infectum. Gratia itaque de qua tam acriter S. D. cum pelagianis disputabat, et quam postulabat ab ipsis uti Fidei dogma cognosci; nec erat gratia necessariò determinans, nec etiam gratia simpliciter efficax: sed generatim gratia erat actualis et præveniens quoslibet pios actus, eademque gratuita: nec, quomodo hæc gratia in nobis operetur, tunc inquirebat.

CIV. Id verò ostenditur 1. Quia S. D. totus in eo est, ut probet, interiorem Gratiam esse agnoscendam non tantum ad bonum facilius peragendum, sed ut necessariam tum ad perfectionem actus, tum ad actum totum, illamque non secundum merita nostra dari. Revera hic insistere, ex Epist. constat ad Vitalem, ubi ut quis se orthodoxum probet, hanc fidei exigit professionem: *Fateatur Gratiam Dei etiam ad singulos actus dari, eamque non dari secundum merita nostra, ut vera sit gratia . . . fateatur esse liberum arbitrium, etiamsi divino indigeat adjutorio: fateatur, quando contra tentationes dimicamus, quamvis et illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed adjutorio Dei nostram provenire victoriam*. Ubi certè nihil habet de gratia necessariò determinante, nec ex se efficaci, nec de modo quo gratia operetur. 2. Id confirmat l. De Gr. Chr. c. 47. ubi de Pelagio ait « *Si ergo consenserit nobis, non solam possibilitatem . . . sed ipsam etiam voluntatem et actionem divinitus adjuvari, et sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus et agamus, eamque esse Dei Gratiam per Jesum C. . . . nihil de adjutorio Gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur.* Neque hic quidquam de invincibili gratiæ efficacia habetur. 3. Hinc Concilia et Pontificum Decreta definiunt quidem, interiorem gratiam ad singulos pios actus esse necessariam, illamque gratuitam esse; nec ullum quidem verbum habent de gratia necessitante, vel ex se efficaci, vel de illius agendi modo; imo S. Cælestinus profundiores ea de re quæstiones declarat nolle attingere (sup. N. II.). 4. Fides catholica constans et immutabilis est;

si ergo opiniones adversariorum ad Ecclesiæ dogmata Augustini ætate pertinuissent, modo etiam utique pertinerent; quod nec Thomistæ de sua asserere audent; multo itaque absurdius de gratia relative necessitante id diceretur, quæ ab Ecclesia proscripta est.

CV. Non his acquiescunt adversarii, ajuntque, Augustinum (De Correpr. et Gr. et de Præd. SS.) Ecclesiæ nomine a pelagianis requisivisse gratiam, *qua non solum suadetur quod bonum est, verum etiam persuadetur... qua Deus occulta... efficacissima et omnipotentissima potestate operatur in nobis non solum posse sed etiam velle operari*: Quæ nisi de gratia saltem ex se efficaci dici non possent. Respondimus tamen (sup. N. XCIII.), in omni sententia gratiam agnosci, qua Deus occulta, ineffabili, et omnipotentissima potestate operatur in nobis, quam alii ex gratiæ natura exponunt, alii ex prævisione consensus, alii ex congruitate circumstantiarum; ut S. D. verba cuilibet systemati accomodari possint. At nihil inde conficitur pro adstruenda gratia necessitante: imo S. D fatetur, cum gratia stare semper liberum arbitrium, licet hoc habeat ad discernendum difficile, ut l. 2. ad Petilian. c. 84. ubi ait: *Si tibi proponam quæstionem, quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficilè soluturus es: Quomodo enim attrahit, si dimittit ut quis quod voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum est, sed intellectu hoc percipere pauci valent*. Male igitur Iprensis ex iis phrasibus gratiam necessariò determinantem infert. Imo nec ipsi Thomistæ pro sua sententia quidquam inde concludere valent; et si valerent, de

sententia ad summum Augustini concluderent uti privati doctoris, nec unquam de Ecclesiæ Fide, ut ipsi concedunt. Nec desunt, qui S. D. gratiam ibi spectasse volunt uti cum suo effectu connexam, nempe non absolutè, sed in suppositione hominis benè operantis. Instant prætereа adversarii; quod pelagiani gratiam negabant, eo quod ipsis videretur evertere libertatem; id autem efficere ipsis videri non poterat nisi gratia ex se efficax, aut necessitans. At mirum, quod adversarii ignorent, eos hæreticos id etiam opinatos fuisse de gratia cui resistere arbitrium possit, qui putabant, hominem non esse liberum si alterius ope indigeret: Nam Pelagius apud Hieron. ad Ctesiphon. ajebat: *Frustra dedit arbitrii potestatem, quam implere non possum, nisi ipse semper adjuverit: destruitur enim voluntas, quæ ope alterius indiget.* Et August. Epist. 194. *Putant auferri sibi liberum arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem sine adjutorio Dei hominem habere consenserint.* Præterea S. D. calumniam necessitantis gratiæ sibi a pelagianis impactam rejicit De Sp. et lit. scribens c. 30. *Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed stabilitur; quia nempe gratia sanat voluntatem, qua justitia libere diligatur.* Et C. 31. ita Jansenii errorem præoccupat, inquiens: *Cum potestas datur, non necessitas utique imponitur* &c. Igitur sub motione gratiæ S. D. illæsam semper agnoscit ac tuetur hominis libertatem; ut longè aberret Jansenius cum vult, pelagianos solam rejecisse necessitantem gratiam, et non illam cui voluntas possit assentiri vel dissentiri, si velit.

CVI. Nec minus aberrat cum propugnare pergit, se-

mipelagianos interioris gratiæ necessitatem ad singulos pios actus, etiam ad Fidei initium agnovisse; quod ipsimet Augustino apertè adversatur, qui præter plura hæc habet De Præd. SS. c. 2. *Attendant hic, et verba ista perpendant* (Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis etc.), *qui putant ex nobis esse cœptum Fidei, et ex Deo supplementum*. Idem affirmat S. Prosper Epist. inter Augustin. 225. *Ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, volunt unumquemque pervenire per naturalem facultatem, bono naturæ benè utendo*. Quod Conc. Milevitanum confirmat. Meritò itaque proscripta est quarta Jansenii prop. isthæc « Semipelagiani admittebant gratiæ interioris prævenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei; et in hoc erant hæretici, quod vellent, hanc gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare ». Quæ de hac re satis dicta esse censemus, ut abundè constet quot falsa Jansenius, quotque impia protulerit.

CAPUT XVI.

CATHOLICORUM SYSTEMATA CIRCA EFFICACITATEM GRATIÆ DECLARANTUR, ET EXPENDUNTUR.

CVII. Rejectis hæreticorum erroribus circa efficaciam Gratiæ divinæ, ad catholicorum sententias declarandas veniamus oportet, quibus mysterium hoc ineffabile modo aliquo ab Ecclesiæ doctrinis non alieno exponere sategerunt. Sed hic principio adnotandum, ex ca-

tholicorum dissidiis circa rem hanc Petrum Baylium occasionem arripuisse, Ecclesiam Romanam insimulandi, quasi Tridentinum Concilium S. Augustini doctrinam damnaverit; dum interim patitur, ut hanc ipsam doctrinam nonnullæ catholicorum scholæ tueantur: at simul fatetur, hæreticos a Tridentino damnatos indifferentiæ libertatem sustulisse. Itaque temerarius hic scriptor sibi causas comminiscitur, quo impunè in catholicam Ecclesiam jocari ac debacchari valeat. Noverint ergo novatores, Romanam Ecclesiam circa divina Auxilia sententiam nunquam mutasse, eandemque doctrinam quam ab Apostolis accepit, et quam SS. Innocentius, Cælestinus ac Zozimus Pontifices, nec non Augustinus, Prosper, aliique Patres tum græci tum latini docuere, eandem modo etiam sive adversus calvinistas et jansenianos, sive adversus remonstrantes tradere; etiamsi *profundiores difficilioresque partes incurrentium quæstionum*, ut scribebat S. Cælestinus, *Ecclesia non necesse habeat adstruere*. Quare, ut Baylius mirari desinat, sciat, catholicorum neminem docuisse, hominem quamvis liberum naturæ viribus consensum salutarem posse elicere, nisi Dei gratia præveniatur et adjuvetur: Neminem pariter docuisse, gratiam operari consensum in voluntate, veluti in subjecto passivo, quasi eum consensum ipsa non eliciat liberè cooperans Gratiæ illam moventi atque excitanti, sibique veram servans potentiam eidem dissentiendi si velit. In his ergo dogmatibus cum catholici consentiant, etiamsi de modo disputent quo hæc fiant; quisnam nisi per summam impudentiam eos accusare audeat cum hæreticis convenire? aut Ecclesiam nisi stultè ac impiè criminari posset, eorundem

erroribus unquam favisse? Demum, ut sibi Baylius confingit, S. Augustinus minimè novam circa gratiam docuit doctrinam, quam Ecclesia suam fecerit; sed tantum constantem Ecclesiæ doctrinam certè illustravit, ac strenuè contra hæreticos propugnavit.

CVIII. Ne autem quis miretur, has concertationes in ipso Ecclesiæ sinu vigere, ratio est ac origo tradenda obscuritatis, quæ a Gratiæ efficacis notione inseparabilis est. Nam inde oritur, quod nos magna ex parte lateat, quo sensu, quove modo divina gratia sit nostrarum operationum causa. Duplex enim causarum genus tantum novimus, ad quas efficientia gratiæ referri possit, *causam physicam* nempe, et *causam moralem*. Causa physica est, quæ actione sua se in effectum exerente agit, et ad cujus præsentiam effectus semper producitur, qui nunquam fit illa absente: ita ignis luminis, caloris et combustionis causa physica est; hinc inde inferimus, necessariam adesse connexionem inter causam et effectum. Moralis causa est, quæ agit præcepto, consilio, exemplo, minis, suasionibus etc. quæque non eundem semper producit effectum, qui etiam a diversis causis oritur: ita mentis nostræ ideæ voluntatum et electionum causæ morales habentur, quæ motiva quidem actionum sunt, sed non inde eædem semper voluntates et actiones procedunt, ita ut inter motiva hæc et actiones connexio tantum accidentalis conspiciatur. Tamen qui motiva dat, qui imperat, aut suadet, causa censetur moralis actionum, eique veluti causæ efficienti tribuuntur. Quæstio est igitur, ad quamnam causalitatis speciem Gratiæ operatio referenda sit; et cum hæc efficientia gratiæ nulli dictarum causarum exactè respon-

deat, mirum propterea esse non debet, si de hac re tam implexa atque obscura Theologorum non minus ac Philosophorum sententiæ divisæ sint. Theologorum itaque non pauci grande arbitrantur esse inconveniens, quod gratia actionum nostrarum causa moralis consideretur, quia tunc compararetur actioni hominis, qui motuum voluntatis alienæ præcepto, suasione etc. causa tantùm externa est; cum Deus causa sit efficiens, qui juxta Scripturas voluntatis nostræ actiones operatur et immediatè producit. Ad supernaturales autem actus nostra potestas nihil valet, sed vi gratiæ operamur, ut ab Ecclesia definitum est. Hanc itaque gratiæ operationem plures præmotionem aut physicam prædeterminationem nominant.

CIX. At ex adverso alii Theologi exhorrent, gratiam actionum nostrarum causam physicam dicere; cum physicus effectus connexionem habeat necessariam cum sua causa, ut consentiunt philosophi. Igitur nisi gratiam inter et actum voluntatis intercedat connexio tantum moralis et contingens, actio sub gratiæ influxu nec libera, nec meritoria esset. Hinc propensiones physicæ, ut fames, sitis, somnus necessariæ habentur, unde nec imputantur; quod et de actibus esset supernaturalibus dicendum, quoties physicè a Gratia producerentur. Cum ergo Scripturæ et Patres affirmant, gratiam bonos in nobis actus operari, stricto sensu accipiendi non sunt; alioqnin merè nos passivè haberemus. Revera mos est apud omnes, actiones liberas tribuere moralibus causis, ut physicis tribuuntur: eo nempe modo ei qui jussit aut hortatus est, atque ei qui actionem elicuit. Quo in casu prior non tantùm est causa occasionalis, cum intentionem habuerit ut effectus prodiret, quod de occa-

sionali causa dici nequit. Quare S. Augustinus adnotat gratiam ita in Scripturis exprimi, ut in nobis dicatur id efficere, quod facit ut faciamus. Nam explicans illud ad Rom. 8. *Ipse Spiritus interpellat pro nobis* etc. ait Epist. ad Sixt. c. 4. *Quid est autem interpellat, nisi interpellare nos facit .... nobisque interpellandi atque gemendi inspirat affectum? .... Adjutorium igitur Spiritus S. ita expressum est, ut ipse facere diceretur, quod, ut faciamus, facit.* Eadem itaque ratione, per synecdochen nempe interpretanda sunt alia Apostoli verba: *Deus est qui operatur in nobis velle et perficere*: nam ut habet ad Ro. 7: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* Sed an non Deus dicitur in Scripturis excæcare, obdurare, errare facere, cum tamen certum sit, horum effectuum minimè causam physicam, imo nec moralem, sed tantum occasionalem esse? Cum dicitur autem, ad salutis opera potestatem nos amisisse, fit ambiguæ vocis abusus. Nam potestas hæc, quantum ad substantiam attinet, ab ea non differt, qua naturalia operamur; quæ tamen cum per peccatum debilitata ac sauciata sit, indiget ut a gratia vim amissam ac sanitatem recipiat. At sub gratiæ impulsu nos ipsi sumus qui physicè ac revera agimus; quod et intima conscientia testatur, qua experimur sicut in naturalibus ita et in piis actibus minimè nos passivos habere: cui intimo sensui adversari, idem esset ac fatalistis manus vinctas tradere. Nec refert hic divinam extollere omnipotentiam, ac supremum Dei in creaturas dominium, et opportunitatem humanam arrogantiam deprimendi. Argumenta enim sunt quæ nimis probarent. Nec enim Deus nos docuit, in eo dominum suum posuisse, et non potius ut

creaturas conservet, ac ut secundum datam eis naturam operentur; ac proinde liberè, quando liberas eas fecerit, ac meriti capaces: quæ cum agendi necessitate stare non possunt. Cum verò nihil boni, ne sanctam quidem cogitationem sine Dei auxilio queamus efficere, ubinam motivum aderit intumescendi? Atque hæc principia sunt, unde systemata sua Theologi deducunt circa efficacitatem gratiæ divinæ. Cum tamen causa physica locum habeat inter unum et alind corpus, hæc nobis nullam ingerere notionem valet de modo quo in nobis gratia operetur: causa verò moralis cum motiva tantum agendi præbeat, nec novas vires voluntati suppeditet, quas gratia præstat, apparet, inter moralem causalitatem et efficientiam Gratiæ perfectam comparationem haberi non posse. Quid mirum igitur, si ratio et modus quo gratia operatur, mysterium sit impervium, de quo nullam valemus adæquatam nobis comparare notionem; et si propterea concertationes fortasse interminabiles fient? Interim catholici omnes in hæc duo concordent necesse est. 1 Dari efficaces gratias, quibus vincere novit Deus humani cordis duritiem, quin lædatur libertas. 2. Adesse gratias sufficientes, sive hominum culpa inefficaces, quibus homo multoties resistit et reluctatur.

CX. Ut hæc itaque componerentur, quinque potissimum systemata excogitata sunt: 1. Est Thomistarum. 2. Augustinensium. 3. Molinianorum. 4. Congruistarum. 5. Ludovici Thomassini dictum. Atque ad 1 quod attinet: Duo præcipuè Thomisticum systema constituunt: Præmotio physica, et gratia sufficiens. Prior jam dicebatur: actio Dei, quæ instar motionis voluntati impressæ mentem sufficienti auxilio antea adjutam ad

actum applicat : alii eam dicunt, entitatem animæ supervenientem et a Deo productam. Quid tamen sit motio illa aut entitas nusquam clarè explicarunt. Recentiores asserunt, esse ipsamet Dei decreta actus nostros prædeterminantia, quibus resisti possit, qua clausula a Quesnellistis recedunt. Motionem hanc tam pro actis naturalibus ponunt, et tunc Præmotio vocatur, quàm pro supernaturalibus. Præmotio tamen duplex distinguitur, Generalis et Particularis : prior est versus bonum in genere, quam sensu aliquo omnes admittunt: altera, quæ est ad bonum particulare, propria Thomistarum est. Eam in utroque statu sive naturæ innocentis sive lapsæ agnoscunt, idque tum ut salvetur supremum Dei dominium, tum ut salva sit Dei scientia circa futura libera; quibus alii addunt titulum infirmitatis nostræ. Hæc itaque ex sui natura effectum habet, quo nunquam carère potest, licet ad oppositum supersit libertas; nam, ajunt, ita Deus actum vult, ut velit etiam modum, nempe ut libere fiat. Præmotio hæc physica dat quidem actum, sed in naturalibus potentiam supponit: Gratia verò sufficiens mentem ad potestatem supernaturalem evehit, sed ita, ut nisi physica præmotio adsit, actus nunquam sequatur. Ad morale tamen peccati nunquam præmovet Deus, sed ad materiale tantum. Hinc Deus juxta ipsos in suis decretis absolutis videt futura conditionata quorum conditio ponenda est : sed quorum non est ponenda conditio, in decretis videt absolutis ex parte sui, et conditionatis ex parte objecti. Ex. g. hoc decretum de Tyriis tulit, si Christi miracula vidissent : Volo Tyriis si hæc videant miracula dare præmotionem physicam quo convertantur « Quod ut rem possibilem

videt per scientiam simplicis intelligentiæ, cum ordinem hunc non elegerit; nec proinde uti rem futuram. Quare per distinctionem rationis, seu nostro concipiendi modo, plura distinguunt instantia. Ut 1. Deus omnia possibilia ac possibilium ordines intelligat. 2. Ut, electo hoc præsenti ordine, media omnibus sufficientia decernat, et pluribus physicas præmotiones, et efficacia auxilia. 3. Hinc prædestinatio oritur ante prævisa merita. Et in 4.° instanti illorum merita, ac defectu gratiæ efficacis aliorum demerita videt. In 5. autem prævisis demeritis positivè ac directè ad pœnam rejicit. Hoc tamen systema aliquantisper temperavit P. Massouliæus in opere « S. Thomas sui interpres ».

CXI. Secundo loco systema Augustinensium venit, eorum nempe, qui Gratiam absolutè et ex natura sua efficacem propugnant, moraliter tamen, seu intellectum illustrando, et voluntatem alliciendo suaviter; ut hinc gratiam physicè prædeterminantem rejiciant, nam hæc consensum per se et immediate operatur: at moralis operatio consensum a voluntate impetrat suadendo et ad bonum inflammando, modo nempe creaturæ liberæ conformi et consentaneo. Gratiam verò sufficientem illam esse volunt, quæ det satis virium ut agamus, sed quæ suum nunquam effectum consequitur nisi efficax uberior gratia accesserit; quæ ob infirmitatem præsentis status requiratur. Hanc itaque ad actus supernaturales in præsenti statu necessariam adstruunt, cum pro statu innocentiæ sufficientem illam satis fuisse concedant. Quare pro statu illo usum scientiæ mediæ seu conditionatorum cum Molina admittunt: et pro præsenti statu actus supernaturales in decretis gratias

efficaces conferendi prævideri affirmant. Inter hos tamen sunt quidam Molliores dicti, ut Norisius, qui efficacem ex se gratiam ad opera pia tantum difficiliora requirunt, ac pro facilioribus sufficientem satis esse volunt. Hi non declarant, cum voluntas consentit, an gratia sit ex se efficax, an talis reddatur ob consensum voluntatis. Hi denique omnes pro naturalium actuum prævisione ad scientiam conditionatorum recurrunt. A communi tamen Augustinensium systemate schisma fecit P. Jo. Laur. Berti cum ejus præceptore Belellio, qui Gratiam non jam absolutè, sed relativè victricem cum Jansenio esse volebat, ita tamen ut non necessariò consensum voluntatis obtineat, sed tantum infallibiliter; et in hoc ab Jansenio recedit. Vult etiam delectationem a Gratia immissam esse non indeliberatam sed deliberatam, cui liber hominis consensus conjungatur, cum quo victrix existit. Quod si verum esset, delectatio relativa victrix nulla foret; nam victrix non esset, nisi consensus voluntatis ipsi conjungeretur.

CXII. Molinistarum systema ex adverso omnem gratiam ex natura sua efficacem explodit; docet enim gratiam efficacem et sufficientem non ex sui natura, sed ex eventu distingui: efficax dicitur, cui homo consentit: inefficax et merè sufficiens cui ipse dissentit. Hinc eadem gratia utrumque esse potest, ut non raró contingat minorem gratiam efficacem esse, majorem inefficacem; unde *versatilis* nomen eidem Thomistæ impropriè indiderunt, cum hæc flexibilitas non Gratiæ, sed humano ingenio tribuenda sit. Non ea itaque ita sunt intelligenda., quasi voluntas vim aliquam gratiæ tribuat, quam omnem a Deo habet; sed voluntatis consensus veluti

conditio est, sine qua non efficax foret: ita Sacramenta licet virtutem a Deo accipiant, nullam tamen habent efficacitatem, si cum requisitis dispositionibus non suscipiuntur. Cum autem voluntas gratiæ assentitur, duplex intervenit Dei actio 1. Ipsamet gratia præveniens seu pia motio, qua voluntas vires accipit, et ad consensum excitatur. 2. Gratia cooperans, seu concursus supernaturalis, quo Deus ad actum concurrit. Concursus iste positus est in lege generali, qua vult Deus cum creatura producere quodcunque liberè illa voluerit; ita ut detur concursus quia ad actum se creatura determinat, non verò sese ipsa determinet, quia concursus datur. Deus autem ope scientiæ conditionatorum quam Ludov. Molina Mediam vocat, prævidet, quid homo acturus sit tali gratia adjutus, quem si convertere velit, ei gratiam largitur, cui prævidet, illum esse consensurum. Non tamen eam concedit, quia futurum consensum prævidet, ut semipelagiani putabant; sed ex mero beneplacito gratiam largitur; in quo longè Molinistæ ab iis hæreticis absunt. Ordinem verò decretorum ita statuunt 1. Deus per scientiam simplicis intelligentiæ omnes possibiles rerum ordines novit. 2. Ope Scientiæ mediæ cognoscit quidquid creaturæ operaturæ sint. 3. Præsentem rerum ordinem eligit. 4. Omnes salvare vult voluntate conditionata, si nempe velint uti mediis salutis eis exhibitis. 5. Hinc auxilia omnibus sufficientia decernit. 6. Gratias quibusdam decernit, quibus prævidet eos consensuros. 7. Per scientiam visionis videt alios usque in finem benè operaturos, alios in peccato obituros. 8. Hinc prævisis meritis vel demeritis, illos ad Gloriam prædestinat, cæteros in damnatione relinquit.

CXIII. Congruistæ post Franc. Suarez systema suum paulo aliter a Molina exposuere. 1. Cum eo consentiunt, Gratiam non esse ex natura sua efficacem, sed quæ a sufficiente non ex solo consensu distinguatur, at insuper ex circumstantiarum congruitate et opportunitate; ut ea sit gratia efficax quæ hominis indoli attemperetur, in iisque circumstantis concedatur in quibus novit Deus eum esse consensurum: sufficiens verò, quæ dat quidem potestatem agendi, sed cui prævidet Deus hominem non esse consensurum: Utraque differt ergo conguitate circumstantiarum; ut hinc Congruistæ hujus systematis defensores dicantur. Hi multa in efficaci gratia distinguunt, vim propriam, congruitatem, et infallibilem cum effectu connexionem. Inde habet ut voluntatem excitet, ac moveat; sed ejus infallibilitas ipsi Gratiæ naturæ non est alligata, at oritur ex Dei prævisione, quæ liberam suppouit voluntatis determinationem ope scientiæ mediæ prævisam; ut nullam propterea voluntati imponat necessitatem. Hæc tamen gratia, licet sæpius sufficienti æqualis et etiam minor, semper magnum est Dei donum; nam ad eam non modo pertinet excitatio interna, sed circumstantia loci, temporis, personæ etc. ut ait Bellarminus; unde majorem habuit gratiam, qui credit, quam ille qui fidem respuit. Notandum verò, opus bonum juxta Molinam et Suarez non esse partim a Deo, partim a libero arbitrio, ut quidam ipsis objiciunt; sed totum ab utroque: totum a gratia, quæ vires confert sine quibus ad supernaturalia nullam homo vim haberet: totum a libero arbitrio, quod totam suam virtutem a Gratia accipiat, cui refragari potest. Nec repugnat idem opus a duabus causis totum pro-

duci, quarum altera sit alteri subordinata, ac diversi ordinis, præsertim si una sit causa moralis, ut exemplis constat. Hoc innuit Augustinus ad Simpl. q. 2. inquiens: *Deus ut velimus, suum esse voluit, et nostrum: suum vocando, et nostrum sequendo.*

CXIV. Postremum systema post Josephum a Vita induxit Ludov. Thomassinus Gallus Oratorii presbyter, quo alia systemata concordare posse putavit. Ac 1. Statuit, quamcumque gratiam, sive mentis illustratio sit, sive terror, sive amor, per se non esse efficacem, nec semper effectum sortiri, quamvis sæpe contingat, ut quis unica gratia excitatus bonum eligat, præsertim in facilioribus. 2. Victricis gratiæ vim in multitudine et conspiratione auxiliorum internorum externorumque reposuit, sive successivè agant ut in S. Augustino, sive una simul ut in Apostolo Paulo; et quibus, quoties voluerit, hominum voluntates Deus convertere possit. His auxiliis moraliter quidem voluntas inflectitur, at non minus certò quàm per physicam prædeterminationem. 3. Singulis auxiliis resistere voluntas potest, non universis; ut potest justus singula declinare venialia peccata, non omnia. 4. Hinc auxilia singulatim sumpta sufficientia dicuntur: omnium verò collectio gratiam efficacem constituit. 5. Decreta divina Thomassinus ordinat uti Thomistæ, usumque rejicit scientiæ mediæ. Tamen confidit Molinistas ipsi gratos futuros, quod supremum Dei dominium integrum servet: tum quoque Thomistas, quia cum homo singulis gratiis consensum denegare possit, liber facilè constituitur.

CXV. At hæc systemata suas singula patiuntur difficultates. Et 1. in Thomistarum sententia non videtur

efficacia Gratiæ ex physica præmotione repeti posse: ut eruitur ex objurgatione illa Matth. XI. 12. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, jam in cinere et cilicio pœnitentiam egissent*. At in hac sententia inopportuna foret hæc reprehensio, cum paria non data essent utrobique media; nam Tyrii et Sidonii tunc physicam præmotionem habuissent, qua objurgati carebant. Hinc Corozaitidæ ac Bethsaitidæ respondere poterant, non esse ea præmotione suffultos, nec propterea objurgandos esse. 2. In hac sententia sequeretur, Deum impossibilia jubere, quod contingeret, quoties ad præcepta implenda physica prædeterminatio non daretur. Nam sine illa actus poni nequit; est ergo sine illa præcepti observatio impossibilis. Nec quidquam ad rem facit possibilitas in sensu diviso; nam Deus non jubet solam potentiam aut possibilitatem, sed actum ipsum jubet; ut sit necessaria potentia etiam in sensu composito. 3. Si datur proxima potestas, qui fit ut cum ea nemo præceptum observet? Aut quomodo auxilia sufficientia sunt, si præterea physica præmotio est necessaria? Non habet sufficientem potestatem, cui deest necessarium auxilium. 4. Potentia libera positis requisitis agere potest, vel non agere: agere hoc, vel illud idque in sensu composito: At deficiente physica prædeterminatione, illa possibilitas non adesset. Respondere autem, nos esse liberos in sensu diviso, non in composito, vel est jactare vocabula sine sensu, vel dicere sub physica præmotione non esse liberos, qui est sensus compositus; quod esset absurdum fateri. Revera illa potentia in sensu diviso est potentia remotissima, quæ agere nequit

nisi cum fuerit instructa requisitis ad agendum: ita beati in cælis possent in sensu diviso non diligere Deum. 5. Homo præmotione physica destitutus vel præceptum adimplet, vel non: si primum, læderetur Dei dominum ejusque præscientia: si alterum, homo peccaret. At Dei attributa lædi nequeunt; igitur homo necessario peccat: idque eo magis quod hæc præmotio evitari non potest, nec ab hominis pendet arbitrio. 6. Nulla agnosceretur actio creaturis tributa, cum tamen S. August. l. 7. de Civ. D. c. 30. doceat: *Deum sic omnia quæ creavit administrare, ut etiam ipsa proprios exercere et agere motus sinat*. 7. Demum hic non intelligeretur, quomodo Angeli et Adam innocens unquam peccare potuissent, cum nullum in illis peccatum præcesserit, quo præmotionem illam sibi demerere potuerint.

CXVI. Augustinensium systema gravissimis et ipsum obruitur difficultatibus, sive gratiam ex se et absolutè efficacem ponat, sive illam statuat relativè victricem, ut Berti, Gazzaniga aliiqui defendunt. In primo casu plures recurrunt difficultates contra Thomismum objectas: in altero casu, contra illud graviora momenta militant adversus Jansenismum prolata. 2. Systema illud mechanicè nimis gratiæ vim exponit, ut vidimus (N. xciv.). Et licet sufficientem Gratiam et arbitrii indifferentiam statuant; difficulter id tamen et inconsequenter, cum victrix delectatio a decreto absolutè præmovente profluat, et inevitabilis sit, atque insuperabilis. Præterea gratia gradibus superior et efficax nequit non esse necessitans, cum non valeant vires inferiores resistere validioribus; imo id prorsus repugnat. 3. Experientia testatur, Gratiam non semper allicere suavitate aut amo-

re; sed non rarò mentes sancto timore concuti et converti. Hinc August. l. 8. Conf. c 8. Non faciebam, quod incomparabili affectu mihi placebat amplius ».

CXVII. Contra Molinistas et Congruistas graves quoque militant difficultates. Nam 1. Si Gratia efficax non differt a sufficiente nisi solo eventu, sequitur unam alia non esse majorem, neque majorem ex parte Dei affectum arguere, et prædilectionem: sequeretur, hominem seipsum discernere; cum tamen Deo id tribuat Apost. inquiens: *Quis est, qui te discernit?* Sed Moliniani respondent, id minimè sequi; nam cum homo bene operatur, id non habet a suis viribus, sed a Gratiæ virtute sine qua nihil in sanctis operibus valet. Causa igitur boni operis in Gratiam refundi debet, quam homo nec prævenit, nec præcedit, sed illam subsequitur, eidemque obtemperat. Voluntatis ergo consensus tantum conditio est, sine qua nec liber homo esset, neque capax meriti. Quod Augustinus disertè docet De Sp. et lit. c. 34. inquiens: *Misericordia prævenit nos: consentire autem voluntati Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est*. Id insinuat Apost. 2. Cor. 1. cum ait: *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* etc. Quare qui consentit, in Domino glorietur oportet, a quo fuit adjutus: qui verò obluctatur, sibi tantùm id imputare potest. Sed adversus Congruistas illud militat Augustini Enchir. c. 93. *Quis tam impiè desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere?* 2. Cum hæc sententia ab ea Molinæ non differat, hinc per Suaresianos Gratia est efficax, quia congrua est; ideo verò est congrua,

quia naturali hominis indoli aptatur; ut hinc suam ab humana voluntate efficaciam sumat. Augustini tamen allato textui alium reponunt ex l. 1. ad Simplic. q. 2. nempe: *Quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei*... ac subinde: *misericors Deus, cujus miseretur, sic eum vocat, quando scit ei congruere, ut vocantem non respuat*. Ac de Præd. SS. c. 17. ait: *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quando aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem*. Itaque Chrysostomus scribit, Mathæum tunc a Domino fuisse vocatum, cum vidit eum vocationem non repudiaturum.

CXVIII. Ipsum itaque Thomassini systemà, quod in gratiarum conspiratione Gratiæ efficaciam ponit, cæterorum objectis premitur. Nam 1. oportet, ut difficultates solvat, quæ contra sufficientem gratiam struuntur; cum sæpe per ipsum contingat, ut sine gratiarum cumulo cum sola gratia sufficiente in actum erumpat. Deinde cum decreta rejiciat prædeterminantia, resolvat oportet, quæ contra usum scientiæ mediæ objiciuntur; cum opus sit, ut ad scientiam conditionatorum confugiat, quo Deus certo sciat, quid futurum sit. 2. Ex adverso sufficientis gratiæ patroni ei objicient, humanum arbitrium in ipsius sententia non esse magis liberum quàm sub præmotionis impulsu; Nam ille gratiarum cumulus vel necessariò consensum obtinet: vel certò tantùm et essentialiter nulla imposita necessitate: vel efficax fit ex consensu. Primum dicere est hæresis: Secundum, est Augustinensium vel Thomistarum sententia: Tertium,

est systema Molinistarum; ut quocumque se Thomassinus convertat, in aliorum sententias cadat necesse sit.

CXIX. Quare statuendum est: Gratiam miris, ineffabilibus, innumerisque modis prorsus nobis incognitis operari in nobis; quod S. Augustinus diserte tradit De Præd. Sanct. c. 20. et de Corr. et Gr. c. 5. ubi ait: *Quare isti sic, alii aliter, diversis et innumerabilibus modis vocentur, ut reformentur, absit, ut dicamus judicium luti esse debere, sed Figuli.* S. autem Prosper adv. Collatorem c. 7. habet: *Trahit timor; initium enim Sapientiæ timor Domini: Trahit lætitia; quoniam lœtatus sum in his quæ dicta sunt mihi: Trahit desiderium; quoniam concupiscit et deficit anima mea in atria Domini: Trahunt delectationes; quam dulcia faucibus mei eloquia tua; et quis perspicere et enarrare possit, per quos effectus visitatio Dei animum ducat humanum?* 2. Præter difficultates expositas, quibus singula systemata impetuntur, id ratio ipsa demonstrat. Nam efficacia Gratiæ est Dei operatio, cujus claram notionem habere nequimus, ut supra dictum est N. CVIII. sed et ignoramus modum quo spiritus in corpus, et vicissim operetur, nec non modum quo spiritus agat in spiritum creatum; multo magis igitur incompertus erit modus quo agit Deus in voluntatem. De hac re igitur dicendum quod habet Augustinus De scientia Dei in Psal. 49. *Non hoc a me, fratres, expectetis, ut explicem vobis, quomodo cognoscat Deus: Hoc solum dico, non sic cognoscit ut homo, non sic cognoscit ut Angeli; et quomodo cognoscit non audeo dicere, quoniam et scire non possum.* Hæc itaque disputatio cum sit intel-

lectui nostro prorsus impervia, nec relatæ sententiæ ut falsæ omninò abjiciendæ, nec sine diligenti examine sunt adoptandæ; at verò contenti esse debemus Catholica dogmata propugnavisse, et sententiis declaravisse per Ecclesiam licitis, quin cæterorum sententiis quidquam detractum velimus, a quibus non ut ab hostibus sed ut a fratribus dissidemus. Quibus perspectis ambiguitatibus, sapienter Ecclesia Spiritus sancti lumine semper adjuta, damnatis hinc pelagianorum, illinc prædestinatianorum erroribus, laudatas Theologorum sententias ab illorum erroribus longè remotas defensoribus suis tenere concessit, atque rei difficultate inspecta ab his definiendis abstinuit, lege lata, ne una schola alteram aliqua censura notaret. Quod si nos in superioribus Molinistarum sententiæ in pluribus deferre visi sumus, id factum est, quod obvio Scripturarum sensui magis congruere appareat, Patrumque doctrinis, nec non Ecclesiæ Decretis contra Bajum, Jansenium, et Quesnellum latis.

CAPUT XVII.

DE GRATIA HABITUALI.

CXX. Superest ut potiora de Habituali Gratia attingantur, cujus argumentum in binas partes dividitur: in prima de illius natura, in altera de illius effectibus agetur. Gratia itaque habitualis, quæ et justificans, ac sanctificans nuncupatur, definiri solet: *Supernaturale Donum Dei permanenter et per modum habitus Animæ inhærens, quo homo efficitur justus, Deo gratus, filius Dei adoptivus ac divinæ consors naturæ.*

Diximus *donum animæ inhærens;* ut a Calvinistarum et Lutheranorum errore discedamus, qui ajunt, illud animam interius non afficere, sed esse externum Dei favorem peccata condonantis et imputantis sanctitatem: contra illud quod Apostolus habet 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te est.* Hinc Trid. Concilium Ses. 16. can. 11. *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et caritate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat: aut etiam gratiam qua justificamur esse tantum favorem Dei, anathema sit.* Est itaque aliquid manens in anima ac permanens, non verò pertransiens; in quo a Gratia Actuali secernitur, quæ per modum actus transeuntis datur. Manere autem dicitur per modum habitus donec per peccatum amittatur; sed an sit habitus propriè dictus, nempe *inclinatio et propensio ad virtutem*, inter catholicos disputatur. At Gratia hæc sanctificans nequit cum lethali peccato sociari: *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate*, ajebat Apost. 2. Cor. 6. *Aut quæ societas lucis ad tenebras?* Sed inde minimè sequitur, neminem sine gratia sanctificante aliquando bene operari non posse. In hoc, ut vidimus, errarunt Wiclefus, Jo. Hus, Lutherus etc. qui peccatum esse docuerunt, quidquid sine sanctificante gratia perficitur. (V. sup. N. XXXVIII. et seqq)

CXXI. Sed primo quædam sunt hìc resolvenda. Et 1. An Gratia habitualis sit ipse Spiritus sanctus? Atque constat, hanc Gratiam non esse Spiritum Sanctum, a quo distinguitur ut causa ab effectu. Ait enim Apost. Rom. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris*

per Spiritum sanctum: Qui dicitur Jo. 14. in justis manere, eo quod sanctificantem gratiam in iis conservet, ac per illam eos efficiat divinæ consortes naturæ. Quæritur 2. An Gratia sanctificans sit ipsa Caritas? Cui respondent quidam cum S. Bonaventura, idem esse; cum in Scripturis quæ sunt propria gratiæ sanctificantis, et ejus effectus Caritati adscribantur, ut Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Et 1. Jo. 4. *Qui manet in Caritate, in Deo manet*: Verum S. Thomas Caritatem ab ea Gratia distinguit, uti distinguere videtur Conc. Tridentinum in Canone allato, atque uti distinguitur 2. Cor. 13. ult. v. *Gratia Domini N. J. C. et Caritas Dei, et communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis*. At de hac Theologorum controversia scire sufficiat, in justificatione utramque conferri, nec unam sine altera in homine permanere. Quæritur 3. Quænam virtutes cum habituali Gratia tribuantur? Circa quod constat apud Catholicos omnes Fidem, Spem, et Caritatem infundi juxta Tridentinum Sess. 6. Cap. 7. Catechismus autem Romanus cum S. Thoma docet, omnium virtutum nobilissimum comitatum cum sanctificante Gratia conferri, ac Spiritus sancti etiam dona infundi. Est autem donum Sancti Spiritus, « Habitus supernaturalis, quo homo disponitur ad ordinarias accipiendas vel extraordinarias divini Spiritus motiones ad propriam salutem ». 4. Quærenti causam Gratiæ sanctificantis; respondendum, Causam efficientem esse Deum juxta illud Psal. *Gratiam et Gloriam dabit Dominus*. 2. Causam materialem seu subjectum in quo recipitur, animam esse rationalem. 3. Causam finalem, ob quem finem datur, esse gloriam

Dei, vitamque æternam, ut Trident. ibid. 4. Causam meritoriam principalem esse Christum, minus principalem esse Sacramenta, et bona hominum opera. 5. Quærenti quinam sint hujus gratiæ effectus: Resp. sex potissimum numerari. 1. Omnes iniquitates delet. 2. Innovat corda eorum qui sanctificantur. 3. Dei amicos efficit et cives sanctorum. 4. Divinæ reddit consortes naturæ. 5. Hominem efficit verè filium Dei adoptivum. 6 Eumque hæredem constituit æternæ vitæ. Ejus tamen effectus duo recensentur præcipui, Justificatio nempe, et Meritum, de quibus nonnulla adv. hæreticos dicenda sunt.

CXXII. Itaque Justificationis nomine intelligitur « sanctitatis acquisitio, qua quis Deo gratus efficitur » De hac verò quæruntur 1. Dispositiones præviæ. 2. Illius natura. 3. Proprietates. De his consulendum Trident. *De Justificatione* Sess. 6 De dispositionibus tamen observandum, nullas in parvulis dispositiones requiri certum esse ex Ecclesiæ Traditione, quæ infantes baptizare semper consuevit; at simul certum est, adultos sine prædispositione aliqua et fidei motu non justificari, uti Actor. 2. 38. *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum*. Atque ita alibi. Nulla de his inter orthodoxos et sectarios controversia viget; at acerrimè disputatur, quænam requiratur fides. Nam heterodoxi fidem quidem postulant, sed non eam qua creduntur, quæ divinitus revelata sunt; sed fiduciam potius, qua quis pro certo habeat, se in prædestinatorum esse numero, sibique promissiones applicari de remissione peccatorum credentibus danda. Cæteras virtutes, etsi eas agnoscant, negant tamen esse instrumenta justi-

ficationis acquirendæ. Sed hæc fiducia, et hæc sola fiducia pro acquirenda justificatione sunt bini errores in Scripturis rejecti. Legitur enim Rom. 10. 9. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris*. Ita alibi. Falsum igitur, fidem esse qualem hæretici volunt, meritoque crassum hunc errorem anathemate confixit Tridentina Synodus Sess. 6. can. XII. Falsum quoquè est, solam fidem ad justificationem requiri, ut docet Jacobus Apost. cap. 2. ubi concludit: *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum?* Paulus verò 1. Cor. 13. ait: *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, Caritatem autem non habuero, nihil sum*. Et 1. Jo. 3. *Qui non diligit, manet in morte*. Non sola ergo fides justificat, multoque minus sola fiducia divinæ pietatis, ut quidam Protestantes volunt: neque cognitio certa de peccatis sibi per Christum dimissis, ut aliis placet; sed est firmus assensus Mysteriis, quæ divinitus proponuntur credenda. Nec propterea fiducia excluditur spesque veniæ, quæ suas in justificatione partes habent; ut hinc Synodus Tridentina ex iis verbis Christi Domini: *Confide filia: remittuntur tibi peccata tua*; deducit, impios ad justificationem disponi, *dum se peccatores esse intelligentes, a justitiæ divinæ timore quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore etc.* Quo in sensu quædam Scripturarum testimonia intelligenda sunt.

CXXIII. Sed audiamus heterodoxos: Ajunt, Apostolum Rom. 3. scribere: *Arbitramur justificari ho-*

minem per fidem sine operibus legis. In quo testimonio afferendo inanem ludunt operam et ignaris inponunt. Ex toto enim contextu liquet, Apostolum de præceptis cæremonialibus Mosaicæ legis loqui, quod est argumentum etiam totius Epistolæ ad Galatas, ubi c. 5. habet: *In Christo neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per Caritatem operatur*. Ubi non fidem quamcumque Apost. exigit, sed fidem vivam per quam opera sancta faciamus; sicut cætera Scripturarum et Patrum loca accipienda sunt; nam *fides sine operibus mortua est*. Priori autem errori suppetias ferre arbitrantur ex illo Apostoli ad Hebr. 11. *Fides est sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium*; sed vox substantia significat expectationem divinæ misericordiæ nobis promissæ; ut fiduciam nostram significet. At contorta est interpretatio isthæc; nam hic *substantia* (græcè ὑποστασις) basim significat ac fundamentum, ut Chrysostomus interpretatur Hom. 12. in Ep. ad Hebr. quem certè non latebat græcæ vocis sensus. Quod si expectationem quoque significaret; non certè hinc allatus erroneus sensus fulciri posset; nam per verba, *sperandarum substantia rerum*, apertè significatur vitæ æternæ expectatio, ac resurrectionis corporum, alteriusque vitæ felicitatis: non verò sola fiducia, qua peccata sibi crederentur remissa; ut hæreticis placet. Revera ait ibi Apost. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod quærentibus se remunerator sit*.

CXXIV. Circa Justificationis autem naturam in duos præcipuè errores heterodoxi prolapsi sunt. 1. Volunt in justificatione peccata propriè non deleri, sed potius

tegi, et ob Christi justitiam non imputari. 2. Eam non fieri per internam justitiam animæ inhærentem, sed per imputationem externæ justitiæ, quæ vel in Deo vel in Christo est. Verum peccata non solum tegi aut cooperiri, verum tolli omnino et ab anima auferri Sacræ Literæ clarè testantur: Hinc David orabat Psal. 50. *Omnes iniquitates meas dele*. Et Jsaiæ c. 43. ait Deus: *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me*. Imo Christus ipse ajebat Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa*. Ac Jo. 1. *Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi*. Quare August. l. 1. ad Bonif: c. 13. *Dicimus, Baptisma auferre crimina, non radere*. Cum ergo in Scripturis nonnulla occurrunt, quæ hæreticorum sensui favere videntur, ut Psal 31. *Beati quorum tecta sunt peccata . . . beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*. Et Psal. 84. *Operuisti omnia peccata mea*: et similia; eodem in sensu ac alia accipienda sunt, in quibus peccata deleri, tolli, et auferri dicuntur. Nequeunt enim peccata esse deleta simul et cooperta: Et cum scientiam divinam nihil lateat, ei tectum quid esse non potest, quin penitus deleatur et esse desinat: ut Augustinus ait Enarr. in Psal. 31. *Cooperta sunt peccata; tecta sunt, abolita sunt; ne sic intelligatis, quod dixit peccata cooperta sunt, quasi ibi sint et vivant*. Sapienter itaque Trid Synodus Sess. v. can. 5. eos damnat, qui ajunt, *peccata non remitti, sed tantum radi aut non imputari*. Nec minus pseudoreformati aberrant, cum volunt, justificantem gratiam interius animam non afficere, eique inhærere; sed ei tantum esse extrinsecam. Nam præter plura quæ in Scripturis habentur, Ezechielis c. 36. ait Deus ipse: *Dabo*

vobis cor novum, et Spiritum novum ponam in medio vestri. Quo vividius interior gratia significari non poterat. David autem orabat*: Cor mundum crea in me, Deus*. Quod si justitia aliquando imputari dicitur, ut ad Rom. 4. *Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam*; id fit, quia duplex est distinguenda imputatio: Alia interna, qua subjecto tribuitur aliquid, quod revera ei adhæret: alia externa, qua ex benignitate reputatur aliquid tale esse, quod revera non sit; ut creditor qui debitum alicui condonaret, non amplius debitorem eum reputaret. Verum Abrahamo non dicitur Dei justitiam ei fuisse imputatam; sed ei reputatam esse fidem ad justitiam. Cæterum Scripturæ peccata aliquando imputari dicunt, quæ interna sunt hominibus, ut Deuter. 24. *Non negabis mercedem indigenti, ne clamet contra te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum*. Cur non ergo et justitia interius imputari poterit?

CXXV. Ad Justificationis proprietates quod attinet, tres enumerant heterodoxi, nempe firmam certitudinem, immutabilitatem, et æqualitatem: Nam volunt 1. omnes credere debere absque hæsitatione ulla se esse justos. 2. Justitiam ita acquisitam nunquam posse amitti per quodcumque scelus. 3. Eam in omnibus æqualem esse, cum non sit nisi Christi justitia. At ex adverso Catholica Veritas statuit 1. Neminem absque speciali revelatione posse certò credere se justificatum esse, ut definit Tridentinum Sess. 6 can. 15. Nam ajebat Apost. 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*. Habet quidem Apost. Rom. 8. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod*

sumus filii Dei : Et iterum : *Certus sum, quia neque mors, neque vita . . . nos separabit a caritate Dei*. Sed hæc multiplicem suscipiunt expositionem. Nam dupliciter Spiritus sanctus aliquid testatur : uno modo expressè, ut cum Christus dixit : *Remittuntur tibi peccata sua* : alio modo obscurè et per quædam signa, quæ probabilem tantum pariunt conjecturam, sed non omnem depellunt dubitationem ac metum : hinc Proverb. 20. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Cum autem ait Apost. *Certus sum* etc. id ut ex græco liquet, nil significat aliud, quam *existimo, plurimum confido*. Verum quod de se dicit Apostolus id scire potuerat speciali revelatione. Quantum ad alteram hæreticorum præsumptionem, Ecclesia docet, justos a gratia sæpe excidere posse : Nam Ezech. 18. 33. ait Dominus : *Si averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, nunquid vivet?* Sed et id exemplis constat innumeris. Dicere autem, qui cadunt, non fuisse verè justificatos, et Scripturis adversatur, et Tridentino Sess. 6. can. 23. Cum itaque ait Apost. 1. Cor. 13. *Caritas nunquam excidit*; innuere vult, hoc donum perseverare in anima etiam in altera vita, in quo a Fide, Spe, cæterisque donis distinguitur Caritas. Itaque Hebr. 6. ait, quosdam qui participes facti suntSpiritus sancti, prolapsos esse, ut ideo Caritas amitti queat. Quod si legitur 1. Jo. 3. *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, et non potest peccare* etc. Id est intelligendum, justum non peccare lethaliter quoadusque in Deo manet, non verò quod justitiam deperdere nunquam possit; nam Joannes ipse Apocal. 2. ad EpiscopumEphesinum scribit: *Caritatem tuam primam*

reliquisti : Memor esto igitur, unde excideris, et age pœnitentiam , et prima opera fac. Tertius hæreticorum error , quo ajunt , in justis omnibus justitiam esse æqualem , eo quod sit ipsa Christi sanctitas , non minus validè redarguitur ex Scripturis; nam Apost. ad Philipp. 1. ait : *Hoc oro , ut Caritas vestra magis abundet*. Et Apocal. ult. *Qui justus est , justificetur adhuc : et qui sanctus est , sanctificetur adhuc*. Hinc Tridentinum definit Sess. 6. *Si quis dixerit , justitiam acceptam . . . non augeri coram Deo per bona opera . . . anathema sit*.

CXXVI. Ut de Merito nonnulla hîc addantur , tria expendenda occurrunt. 1. An existat meritum , sive an homo possit aliquid a Deo verè mereri . 2, Quænam ad meritum requirantur conditiones: 3. Quidnam cadat sub meritum , seu quodnam sit meriti objectum. Meriti nomine intelligitur « Opus præmio et retributione dignum » hinc ex adverso demeritum dicitur , Opus punitione plectendum. Et quantum ad 1. heterodoxi , qui volunt, hominem sola fide justificari , et omnia justorum opera verè esse peccata , licet non eis imputentur , quodlibet meritum propriè dictum tenentur excludere. At contrarium docet Ecclesia , quæ in Trid. Sess. 6. can. 32. definit » *Si quis dixerit , hominis justificati bona opera ita esse Dei dona , ut non sint etiam hominis justificati merita , anathema sit*. Et quidem Christus Matth. 5. pollicebatur : *Gaudete , quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*. Ait verò Lucæ 17. *Cum feceritis omnia , quæ præcepta sunt vobis , dicite : servi inutiles sumus* : Sed considerandum , inutiles servos nos æstimare oportere etiam servata Lege , non quia

bonis operibus non mereamur, sed quia absque gratia ac Dei promissione nihil opera nostra ad salutem conferrent; vel etiam quia Deo reipsa non prosunt, ut PP. interpretantur. Conditiones autem ad meritum requisitæ, vel meritum respiciunt de Condigno, vel de Congruo: primum est, cui ex Dei promissione, et ex justitia debetur merces: Alterum cui præmium datur ex decentia aliqua et congruitate, at non ex justitia. Ad primum requiritur ex parte personæ 1. ut qui meretur sit justus. 2. Ut sit viator; unde al Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum*. Ex parte autem operis exigitur 1. ut actus sit liber. 2. ut sit moraliter bonus ac honestus. 3. ut sit supernaturalis. At ex parte remunerantis Dei, ejus promissio requiritur, ut Jacobus habet c. 1. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*. Ad meritum verò de congruo quod attinet, requiritur ex parte personæ, ut sit viator; et cum hi actus ad justitiam obtinendam disponant, ut justus sit non requiritur. Ex parte actus, ut sit liber, honestus, et supernaturalis; non enim absque gratia opus fieri potest ad salutem pertinens, juxta Trid. Sess. 6. can 3. Tandem ex parte Dei nulla requiritur promissio; cum opus supernaturale per se de congruo meritorium sit. Demum quantum ad objectum meriti, hoc illud est, quod actus meritorius meretur; atque est vel Gratia, vel Gloria.

CXXVII. Quærunt tandem Theologi, quidnam mereri possimus de Congruo, et quidnam de Condigno: ac statuunt 1. Neminem posse ne quidem de congruo mereri primam actualem gratiam; cum ante hanc gratiam non adsint nisi opera naturalia. 2. Neminem de

Condigno posse mereri primam gratiam sanctificantem, licet possit illam de congruo. Nam Apost. ait Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius*. 3. Justum mereri posse de condigno augmentum gratiæ sanctificantis, pro qua nulla conditio deest. 4. Justum de condigno mereri non posse finalem perseverantiam, juxta Theologos non paucos: posse tamen de congruo illam mereri juxta omnes; cum adsint ad hoc requisitæ conditiones omnes: Nam Apost. ad Philpp. 2. *Cum metu et tremore salutem vestram operamini*. 5. De condigno justos mereri posse vitam æternam; quæ Matth. 5. dicitur *merces bonorum operum*, et ab Apost. *Corona justitiæ*. Quare cum ait Apost. Ro. 8. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram Gloriam;* loquitur de passionibus in se spectatis: non quatenus sunt ex gratia, et Christi meritis innixæ, atque ut pendent a Dei promissione; nam ita consideratæ habent cum præmio vitæ æternæ condignitatem. Hinc Apost. 2. Thessal. 1. fideles ad ferendas tribulationes adhortans ait: *Ut digni habeamini Regno Dei, pro quo et patimini:* Quod Gratia sua nobis omnibus Deus O. M. largiri dignetur.

DE MYSTERIIS GRATIÆ DIVINÆ

SECTIO IV.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS FIDE, SPE, ET CARITATE.

CXXVIII. Virtutes Theologicæ Fides, Spes, et Caritas cum sint præcipui effectus Gratiæ divinæ diffusæ in cordibus hominum; et hæ Virtutes Mysteria sint, seu Dei operationes prorsus mirandæ atque ab hominum exspectatione longè remotæ; post tractationem de Gratiæ divinæ Auxiliis, dissertatio de his Virtutibus aptè sibi locum vindicat: Hæ quippe sunt, quæ et cum Divina Gratia arctissime conjunguntur, et quæ principem locum tenent inter mystica Dei opera ad nostram felicitatem ordinata. Per has enim Virtutes non modo sancti efficimur ac Deo accepti, quod erat optandum maxime; sed per eas ad Deum, sicut oportet, colendum et adorandum evehimur. Quid plura? Nonne per has dumtaxat virtutes divinitatis consortes reddimur? nonne, ut Dei filii et hæredes, per eas ad cælestem beatitatem elevamur? De his ergo eximiis Virtutibus acturi, primo virtutis notionem trademus; quæ quidem latè patet,

eaque vel consideratur relate ad objectum circa quod versatur, vel respectu ad actum quo exercetur: hinc et speculativè pro habitu, et practicè pro actu sumitur. Ac sub priori respectu definitur ab Augustino: *Donum Dei et animi habitus naturæ modo et rationi consentaneus:* sub posteriori autem sensu definitur: *Ars benè recteque vivendi tum Deo, tum sibi, tum proximo:* Dicitur *Donum Dei*, quod omnium virtutum sit ipse largitor: *Omne enim datum optimum .. desursum est, descendens* a Patre *luminum:* ait S. Jacobus. Et hæc quidem de generali virtutis notione. Virtutes autem Theologicas tres numero distingui notum est, quæ ita vocantur tum quia Deum habent pro objecto, tum quia a solo Deo infunduntur, et ex divina innotescunt Revelatione: Cum itaque humanam cognitionem excedant, reliquas antecellunt morales virtutes quæ humana ratione comprehendi possunt. Sed et illis spirituale ædificium nostræ salutis construitur; nam *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur:* Ait August. Ser. 20. Itaque primùm de Fide agemus, dein de Spe et Caritate; nam, ut habet S.Thomas, *per fidem apprehendit intellectus, quæ sperat, et amat.* (1. 2. 62.)

CAPUT I.

DE FIDE THEOLOGICA, AC DE REGULA ILLIUS, EJUSQUE ANALYSI.

CXXIX. Fides, quæ græcè Πιστις dicitur, sive *persuasio et fiducia*, describitur ab Apost. ad Hebr. XI. *Est autem Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* : Quæ licet descriptio sit potius quam definitio, præcipuas tamen commendat Fidei proprietates et effectus, atque ea complectitur, quibus ea definiri solet. Dicitur ὑποστασις, nempe *substantia*, seu fundamentum cæterarum virtutum : vocatur ελεγχος ου βλεπομενων, *argumentum non apparentium*, seu convictio, qua invisibilia Dei firmissimè credimus. Ex his ergo Fides habitualis definitur « Virtus theologica divinitus infusa inclinans mentem ad assentiendum firmiter propter divinam auctoritatem omnibus, quæ Deus revelavit, et nobis per Ecclesiam credenda proposuit » *Virtus* dicitur, quod sit habitus laude dignus: *Divinitus infusa* affirmatur, quod sit supernaturalis, nec viribus naturæ haberi queat: alioquin esset fides humana, de qua hîc non loquimur: *Ad assentiendum firmiter*, id est, cum interna persuasione ac sine ulla errandi formidine. Hinc Innocentius XI. a 1679. hanc damnavit prop. » Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia saltem probabili Revelationis, imo cum formidine, qua quis formidat ne non sit locutus Deus » Verba quæ sequuntur « *Omnibus quæ revelavit Deus* : omnes revelatos articulos inclu-

dunt, ut Fides divina pereat in eo, qui vel unum ex revelatis articulis sciens et obstinatè inficiaretur. Denique per Ecclesiam veritates credendæ proponuntur, cum eam constituerit Christus magistram et firmamentum veritatis; et chimerica sit protestantium immediata revelatio. Fides vero actualis est cum actu assentimur his rebus ab Ecclesia propositis, ut cum Symbolum recitatur. Hæc autem vel exterior est vel interior: prior verbis aut signis manifestatur, altera intra mentem tota est. Dividitur porro in *implicitam* et *explicitam*. Illa generatim assentimur cunctis a Deo revelatis, licet singula non innotescant: altera, alicui peculiari ac declaratæ veritati assensum damus. Dividitur etiam in Fidem *informem* seu *mortuam*, quæ sine Caritate est in hominibus, nam *fides sine operibus mortua est*, ait S. Jacobus: et in fidem *formatam* seu *vivam*, quæ cum Caritate conjungitur: nempe, ut ad Gal. 5., *Fides quæ per Caritatem operatur*. Et alibi. *Justus autem meus ex fide vivit*.

CXXX. Licet verò in actu fidei distinguatur Credere Deum, credere Deo, et in Deum, hi tamen respectus in vero fidei actu concurrant oportet, cum non intellectus tantum, sed et voluntatis actus sit. Nam credere Deum, est credere Deum esse: credere Deo, est credere vera esse, quæ Deus dixit: credere in Deum est credendo per voluntatis et caritatis affectum in Deum tendere ut in ultimum finem. Credere primo et secundo modo est commune omnibus fidelibus etiam peccatoribus, imo etiam dæmonibus, qui, ut ait S. Jacobus, *credunt et contremiscunt* (c. 2. 19.) et hæc est fides informis, et mortua: At verò credere tertio modo, est proprium

justorum, et est actus fidei formatæ, perfectæ ac vivæ: ut Jo. 6. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille*. Prior est fides sæpe coacta; sed hæc posterior est semper libera, quam appellat Apost. ad Philipp. 2. 17. *Sacrificium, et obsequium Fidei vestræ.* At non rarò Apostolus nomine Fidei Veritates credendas intelligit, ut cum ait, *Evangelizare fidem*, *Annuntiare fidem*, aut *fidei obedire*; quo sensu et nos Veritates quas profitemur, *Professionem Fidei vocamus.* Fides dicitur etiam fiducia in Dei promissis, ut Jac. 1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans*. Præterea Apost. vocavit *fidem dictamen conscientiæ*, et actionum judicium, ut Ro. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*: quo hæretici, ut vidimus, abusi sunt. Sex itaque hìc discutientur. 1. De Revelatione div. agetur, quæ præsupponitur Fidei, ac de mediis, quibus eam cognoscimus; ubi de analysi et de Regula fidei. 2. De Fidei objecto, seu de veritatibus credendis. 3. De Fidei motivo, ac certitudine. 4. De Gratia Fidei. 5. De Fide ut virtus est, ejusque merito. 6. De Fidei necessitate.

CXXXI. Primo itaque Fidei præsupponitur Revelatio Divina, cum ea sint credenda quæ Deus docuit et manifestavit. Quare persuasus quisquis esse debet, Deum esse, ac providum, quique a nobis obedientiam postulet, nosque remunerare velit. Sunt hæc præliminaria ad fidem, docente Apost. Hebr. xi. 6. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit.* Præterea argumenta sunt agnoscenda, quibus prudenter judicemus, Deum esse locutum, et modo etiam nos alloqui: quinam sint legitimi Verbi Dei ministri, eorundemque successores; de quibus,

quantum opus erat, actum est in Opere, *De Principiis Theologiæ :* quæ omnia probè tenenda sunt. Nec quisquam opponat, cognitionem hanc in infantibus non præcedere fidem. Utique: sed hæc ipsis necessaria non sunt. Nam Deus qui per Baptisma gratiam infundit, supplet in iis quæ desunt ut actum fidei emittant. Sed illorum mores formandi sunt, ac erudiendi cum fuerint rationis capaces. Cognita itaque Christi Domini et Apostolorum missione,eorundemque miraculis et virtutibs quibunsReligionem instituerunt; ut modo etiam fidem divinam de his habeamus, sufficit si de his rectè fuerimus instructi. Certum est enim Divinam missionem in Apostolis tantum non stetisse; at ad successores manasse qui Christi Ecclesiæ præsunt. Quæ igitur divinam missionem in Apostolis ostendebant, eam et in successoribus ostendunt. Ecclesia hæc igitur divina est. An verò doctrina, quam docet, scripta sit, aut ore tradita, perinde est; semper enim jussu Dei docebit; ut quilibet fidelis Ecclesiæ hujus doctrinæ credere teneatur. Hæc itaque Ecclesia nos per suos Pastores docet, qui Christi doctrinam tradunt, ab initio et hucusque semper commendatam, et in tot Conciliis agnitam ac testatam, et præcipue a summis Ecclesiæ Pontificibus comprobatam; ita ut quilibet ubique terrarum, quænam sit Vera Christi Ecclesia, atque ejus doctrina scire facile possit.

CXXXI. Hinc ea Quæstio « Quænam sit Fidei Regula » facile solvitur. Nam « Regula Fidei est Verbum Dei prout ab hac Ecclesia prædicatur, declaratur, ac universis fidelibus Fide divina credendum proponitur » Christus enim Apostolos mittens eorundemque successores, ait » *Euntes in mundum universum prædi-*

cate Evangelium omni creaturæ . . . . docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis : *Qui crediderit et baptizatus fuerit , salvus erit* etc. Fallax ergo et falsa est Regula Fidei ab hæreticis conficta, qua volunt, Verbum Dei scriptum prout unusquisque illud sibi suadet, fidei regulam esse, quod fanatismo et erroribus omnibus viam pandit, nec omnibus apta esse posset; ut in Opere *De Principiis Theologiæ* abundè ostensum est, (Sect. III. Capp. 2. 5. 4.) unde patet, hæreticos fidem non in Dei auctoritatem, sed in proprium privatum sensum resolvere . E contra quilibet fidelis ab infallibili Ecclesiæ auctorite certò habet ea quæ credit ; atque in auctoritatem divinam ita facilè fidem suam resolvit . Nam 1. Dogmata credit , quod Ecclesia ea doceat prout in Verbo Dei seu scripto, seu tradito continentur . 2 Ecclesiæ doctrinæ assentitur, eo quod illius Pastores sint a Deo missi, et nobis jussum ut audirentur. 3. Quia hi Pastores sint legitimi Apostolorum successores , illorumque hæredes ab omnibus semper habiti fuerint . 4. Eo quod Apostolorum missio fuerit verè divina et miraculis confirmata . 5. Atque hinc manifestum sit, Ecclesiæ doctrinam sive scriptam sive traditam certam esse et a Deo revelatam; ita ut prudenter ac summa ratione et sine dubitatione ulla sit cuilibet fideli in Dei auctoritate acquiescendum . Nam cum fides divina sit credere propter autoritatem Dei revelantis ; inde patet catholicæ Fidei analysis , quæ ita in ipsius Dei auctoritatem resolvitur . Principia autem fidei in hominis mente, seu quæ ad actum fidei supernaturalis eliciendum concurrunt , quatuor statuuntur . 1. Gratiæ divinæ motus . 2. Intellectus . 3. Voluntas . 4. Motiva credibilitatis .

Gratia divina requiritur, ut actus sit supernaturalis ac Deo acceptus: Intellectus concurrit per sui convictionem: Voluntas per consensum approbationem et imperium: Motiva autem per modum conditionis requisitæ, quæ intellectum determinent, ut prudenter judicet, ac certus reddatur de facta Revelatione.

CXXXII. Ex dictis itaque innotescit, quidnam sit Fidei objectum. Hoc in *formale* et in *materiale* distinguitur; ut primum sit ratio et fundamentum quo in fide acquiescimus: alterum sint ipsæ veritates quibus per fidem firmiter assentimur: Objectum itaque formale fidei est summa veracitas ipsius Dei, cum ultima fidei analysis sit in Deum ipsum sub ratione primæ Veritatis consideratum. Hinc testimonium primæ veritatis se habet in Fide, ut principium in scientiis demontrativis, ait S. Thomas (De Verit. q. 14. a 8. ad 16.). Objectum vero materiale fidei dogmata et veritates omnes complectitur, quas Deus et olim per prophetas, et novissimè per Unigenitum suum nobis manifestavit et per Ecclesiam nobis credendas proposuit. Alii distinguunt objectum primarium quod sit Deus: et secundarium, quæ sint veritates revelatæ. Hac de re hæretici carpunt illud S. Augustini dictum (Cont. Epist. Fundam. c. 4.). *Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ catholicæ commoveret auctoritas*. At non inficiatur S. D. alia plura adesse argumenta quibus Evangelii veritas demonstretur; verum id unum vult, fidem ad tutam securitatem ac ad fidem divinam non assurgere nisi per testimonium Ecclesiæ; sine quo fides esset quidem humana, at non divina. Deistæ hic inficiantur, veritates revelatas firma fide posse credi, contra quos hæc firma

fides facile ostenditur. Nam. 1. Cum sit Deus summa Veritas, nos certò ac tutò credimus dogmata quæ revelavit, quoties illa manifestasse hominibus certò innotuerit; sed peractæ revelationis hujus momenta sunt moraliter certa et demonstrativa; firma ergo fide ea dogmata credere possumus ac debemus. Quod ea momenta firmissima sint, jam demonstravimus in Opere *De principiis Theol.* tota Sectione I. ex credibilitatis motivis; sed hoc etiam ex facto evincitur, ex quo constat, innumeros se morti potius tradidisse quàm fidem hanc proderent, quod de opinionibus non contingit. 2. Id Scripturæ testantur, nam Apost. 1. Thessal. 2. ita fideles collaudat: *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut verè est, Verbum Dei.* At quod accipitur ut Dei verbum, nulli dubitationi subesse potest. Ea igitur de quibus convicti sumus, certa fide creduntur. Frustra igitur Deistæ inficiantur, quæ obscura sunt, a nobis sincerè credi posse; nam, ajunt, dicere, incomprehensibilia Deum nobis revelasse, idem esset ac affirmare, lingua ignota nobis locutum fuisse; ut fides ista nequeat esse nisi falsa et fanatica persuasio. Sed hic est paralogismus philosophis prorsus indignus, ac sæpe alibi profligatus, ut de *Principiis Theol.* Sect. 1. c. 3. et De *Rebus Divinis* Sect. II. c. 4. Revera aliud est veritatem aliquam intrinseca evidentia non clarè et distinctè cognoscere; cujus generis paucissimæ sunt: aliud in re aliqua nihil intelligere omnino. Nam inter hæc innumera sunt quæ certissima habentur, licet confusè tantùm et obscurè cognoscantur, et quæ maximam constituunt humanæ scientiæ partem. Qua-

re eo sophismate actum esset de universa philosophia, ac nimis probaret ; nam probaret quoque, impossibilem esse humanam fidem, quæ tamen omninm sensu optimè constat. Ita cæcus natus plurima credit, quæ non videt, quin propterea fanaticus aut enthusiasta habeatur. Nec inde sequitur, cæcum nihil intelligere in iis quæ ita credit. Ut ergo alicui acquiescamus propositioni, non opus est, ut connexionem percipiamus directè terminorum ; at sufficit quod illam indirectè videamus in testium veracitate, qui de his nobis fidem faciunt. Hinc fit ut plura quæ apud philosophos demonstrata habentur, apud rudes obscura tuta fide teneantur. Imo contingit non rarò ut rectæ rationis philosophi non advertant ad argumenta naturalia quibus veritates quædam demonstrantur, ut Dei providentia, præscientia, aut immensitas, et eas credant divina innixi revelatione. Delirant ergo deistæ, et ne veritatem fateantur, impie agere gestiunt.

CXXXIII. Quæritur hic, An propositio consequens, quæ evidenter ex propositione revelata elicitur, fide divina credenda sit? Ex g. cum revelatum sit, Christum Dominum Deum et Hominem esse ; consequens est, ut animam quoque rationalem habeat. Qua de re contendunt alii, eos, qui eam illationem necessariam vidissent de fide eam debuisse credere etiam ante Ecclesiæ definitionem. At Walemburchius advertit, Veronium in *Regula Fidei*, cum aliis catholicis sentire, propositionem per consequentiam deductam ex principiis fidei ante Ecclesiæ definitionem ad fidem non pertinere. Quare cum problematica hæc sententia sit, Conclusiones illæ inter veritates quidem sunt recensendæ, non verò in-

ter propositiones fidei, ut qui eas negaret, hæreticus, non censeretur. Cum verò eas Ecclesia declarat, ut contra Apollinaristas declaravit Jesum Christum rationali anima esse præditum, non jam novum dogma condit, sed divinitus illud jam revelatum definit. Idem dicendum de iis, quæ clarè et apertè in Scripturis sanctis declarata non sunt, neque communi Ecclesiæ consensu cognita aut definita. Modo tamen inquirere oportet, An fidei articuli a semel facta per Christum et per Apostolos revelatione adaucti fuerint? Circa quod notum est, nullam amplius a Christi tempore fieri Ecclesiæ generalem revelationem, ut propterea fidei articuli augeri non possint. Sunt increduli qui S. Thomam redarguunt, quasi contrarium docuerit; quod falsum est; cum enim 2. 2. q. 1. a. 7. dixisset, non esse factum quantum ad substantiam articulorum fidei augmentum, addit « Sed quantum ad explicationem crevit numerus articulorum » Hoc tamen dicit S. D. de Fide in Veteri Testamento relatè ad Novum, quia in illo continebantur implicitè quæ in novo explicitè declarata sunt; multo minus igitur id sentit in Lege Evangelica. Ecclesia itaque pro opportunitate doctrinam fidelibus declarat; at ei nihil addit aut detrahit, aut quidquam in ea immutat.

CXXXIV. Hæc tamen fides in mentibus fidelium magis extendi potest pro gradibus cognitionum quas de Revelatione habent. Ita cum Christus prædicationem iniret, ab infirmis aut ab aliis exigebat ut eum agnoscerent verum Messiam a Deo missum; qui etiam in Apostolis primus fuit Fidei gradus. Sed cum fuerunt magis eruditi, eum præterea Filium Dei vivi, ac verum Deum et Patri consubstantialem crediderunt. Tandem

cum doctrinam totam Apostolis declaravit, eis dixit Jo. 15. 15. *Vos amici mei estis, quia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Vehementer ergo aberrabat Jo. Lockius, cum in suo *Christianismo rationabili* arbitrabatur, hanc fidem in eo tantum sitam esse, ut credatur Christum esse Messiam. Sufficere id poterat pluribus cum ipse prædicationem inivit, at non postquam Apostoli Evangelium annuntiare cœperunt. Non eis tantùm jusserat, ut prædicarent se Messiam esse in Lege promissum, sed ut universam suam doctrinam docerent: *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*. Nemini ergo licet, ullam ejus doctrinæ partem respuere aut negligere qui salvus esse velit; nam addebat: *Qui verò non crediderit, condemnabitur*. Atque hinc clarum est, hæreticos qui nonnulla duntaxat nobiscum credunt a Domino revelata, veram fidem minimè habere, cum ea credant suo judicio innixi; quod cum sit errori obnoxium, dubitent necesse est, an omnia credant, et an in Revelationis sensu discernendo fallantur: præsertim cum sciant, plures alios doctos ac prudentes viros sibi apertè repugnare et alium sensum Scripturæ verbis tribuere. Id egregie ostendit S. Thomas 2. 2. q. 5. a 3. in hæretico nempe, qui aliquem fidei articulum rejicit nullam veram superesse fidem « Nam, inquit, quicumque non inhæret *sicut infallibili et divinæ Regulæ*, *Doctrinæ Ecclesiæ*, quæ procedit ex veritate prima in Scripturis manifestata, ille non habet habitum fidei; sed ea quæ sunt fidei alio modo tenet, quam per fidem. . . . Manifestum est autem, quod ille, qui inhæret Doctrinæ Ecclesiæ tanquam infallibili Regulæ, omnibus assentit,

quæ Ecclesia docet: Alioquin si de his quæ docet Ecclesia, quæ vult tenet, et quæ non vult, non tenet, jam non inhæret Ecclesiæ doctrinæ *sicut infallibili Regulæ*, sed propriæ voluntati. Et sic manifestum est, quod hæreticus qui *pertinaciter* discredit unum articulum fidei, non est paratus sequi in omnibus doctrinam Ecclesiæ: Si enim *non pertinaciter*, jam non est hæreticus, sed solum errans» Hanc doctrinam ita summatim docuerat S. Augustinus L. 17. c. 3. contra Faustum, manichæos urgens: *Apertè dicite, vos non credere Christi Evangelio; nam qui in Evangelio, quod vultis, creditis: et quod non vultis, non creditis; vobis potius quàm Evangelio creditis*. Patet ergo certam esse Catholicorum Fidem.

CAPUT II.

DE FIDE INTERNA ATQUE EXTERNA, DEQUE MOTIVIS AC CERTITUDINE FIDEI DIVINÆ.

CXXXV. Fidei Actum jam diximus N. CXXVIII. aut *internum* esse, aut *externum*. De utroque peculiare præceptum viget, quo vel jubemur aliquando fidei actum elicere, et est *affirmativum præceptum*: vel prohibemur, ne unquam fidem hanc relinquamus, et est *negativum*. 1. Itaque inquiritur: An fideles teneantur et quandonam actus Fidei elicere. Et respondendum: Præceptum fidei, quatenus *negativum* est, seu vetat, ne fidei mysteriis unquam dissentiamus, aut de iis dubitemus, obligare semper; cum nunquam liceat, veritates revelatas aut rejicere, aut de iis ambigere. At qua-

tenus præceptum est *affirmativum*, quamvis non semper urgeat, sæpius tamen obligare in vita, certum est. Est enim præceptum gravioris momenti, vitæque Christianæ fundamentum, ac ut ad Galat. 3. *Justus ex fide vivit*. Aberrarunt ergo quam longè, qui ab Innocentio X. damnati sunt in illa prop. « Satis est actum fidei semel in vita elicere » Alexander VII. quoque et Innoc. XI. alias scandalosas ea de re prop. anathemate confixere, ut quod « Fides non censetur cadere sub præceptum speciale secundum se ». Sanior itaque catholicorum pars in ea est sententia, quod actum fidei interioris elicere teneatur 1. Quilibet infidelis cui veritates fidei per motiva credibilitatis sufficienter propositæ sint: unde ait Christus Jo. 14. *Si . . . opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent* &c. 2. Quilibet puer inter fideles enutritus, ubi rationis usum assecutus sit. 3. Est eliciendus hic actus, cum animus gravi contra fidem tentatione pulsatur; ut ad Ephes. 6. 16. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*. Et S. Pet. 1. c. 5. *Cui resistite fortes in fide*. 4. Expedit ut id fiat in Sacramentorum susceptione, in tentationibus, in mortis periculo etc. Ut enim ait Jo. 1. c. 5. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*. 5. Denique cum externus fidei actus emittendus est, internus quoque est illi jugendus, ut patet.

CXXXVI. Ad externum verò fidei actum quod attinet, certum est « dari præceptum exterius pro tempore fidem profitendi » Nam ad Rom. X. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*.

Dominus autem ait Matth. X. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo* &c. Hoc igitur officium est cordis et linguæ, ut August. habet, quod juxta S. Thomam 2. 2. q. 3. a 2. obligat 1. quoties per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor Deo debitus; ut si quis a publica auctoritate interrogatus de fide, taceret. Unde Christus ait Lucæ IX. *Qui me erubuerit et sermones meos, hunc filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua*. Merito itaque ab Innoc. XI. proscripta est prop. « Si a potestate publica quis interrogetur, ingenuè fidem confiteri ut Deo et fidei gloriosum consulo, tacere ut peccaminosum per se non damno » 2. Debetur quoque confiteri fides, cum proximus est in periculo fidem amittendi, aut silentium scandalo esse posset, cum debeamus pro fratribus animas ponere. Hinc fidem aut irridenti aut spernenti etiam cum vitæ periculo est contradicendum; modo tamen id prudenter fiat. Quare catholici non tenentur gentiles diis immolantes, aut hæreticos suæ sectæ ritus exercentes palam arguere, si et inutiliter, et cum fidei periculo fieri judicaretur. Aliquis autem a privato interrogatus, tacere potest, nec peccat si respondeat, « Quid tua refert » Nam inde nihil contra fidem colligitur. At si grave inde scandalum sequeretur, vel damnum proximi, aut Religionis dedecus, privato etiam apertè respondendum erit. Seclusa tamen necessitate, publica fidei professio illicita aliquando esse posset; ut si quis temere se mortis periculo aut abnegandæ fidei exponeret, vel inde occasio daretur persecutioni aut perturbationibus: imo licitum est fugere quando nullum inde fidei detri-

mentum aut scandalum oriatur. Hinc Matth. X. *Cum persequentur vos in civitate ista fugite in aliam.* Exterior fidei professio, prout cadit *sub præcepto negativo,* quovis tempore obligat, nec ore vel facto eam abnegare licet, etiam si corde teneretur, cum decretoria sit Salvatoris sententia ibid. *Qui enim negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Et 2. ad Tim. 2. *Si negaverimus Christum, et ille negabit nos.* Fides autem tribus modis negari potest, verbis, factis, et rebus. Verbis qui aliquam fidei veritatem inficiaretur, aut se esse Christianum, vel catholicum: aut Judæum se esse vel Lutheranum affirmaret. Qui tamen se sacerdotem esse negaret, mendacii reus esset, sed non desertæ fidei. 2. Factis fidem negat, qui ritus vel actus exercet falsum cultum designantes, aut ad hæreticorum preces, aut tantum conciones conveniret: quare Paulus V. bis rescripsit Anglis, id non licere. Si tamen citra scandalum eorum cœtibus interesset non ut cum illis communicet, sed ob aliam honestam causam, non peccaret; ut servus qui herum comitaretur: id Eliseus Naaman Syro concessit. 3. Fidem rebus negat, qui vestes induit aut signis utitur ad falsæ religionis professionem ordinatis: licitæ sunt tamen vestes quæ nationes tantùm distinguunt imo expedit se cæteris in his exhibere conformes. Non licet tamen catholicis inter hæreticos degentibus absque necessitate diebus vetitis vesci carnibus, ne agnoscantur et in persecutionem incurrant; nam Ecclesiæ præcepta semper obligant, quoties sine gravi damno impleri possint: idque magis illicitum esset, si tyrannus in contemptum veræ Religionis hoc juberet; tunc enim Religio

abnegari videretur, et magnum oriretur scandalum; ut Eleazarus (Machab. c. 6.) mori magis voluerit quam contra legem suillas carnes edere. Verum extra eos casus et semoto scandalo licet, ut persecutio vitetur, cibos lege humana vetitos edere; nam Ecclesia cum adeo gravi detrimento non obligat; nec id falsæ religionis per se habetur signum, cum etiam catholici vel ex dispensatione, vel ex ignota infirmitate non raró diebus vetitis carnibus indulgeant.

CXXXVII. Quæritur quænam sint Fidei formulæ et Regulæ ab Ecclesia propositæ, quibus Fidem catholicam profitemur? Circa quas adnotandum, diversis temporibus pro opportunitate varias fuisse emissas, prout id requirebant damnandi hæreticorum errores. Sed inter eas Formulas eminent 1. Symbolum Apostolorum 2. Symbolum Nicænum seu Cpolitanum. 3. Symbolum S. Athanasii. 4. Professio Fidei in Tridentino Conc. declarata, et a Pio IV, omnibus proposita, et a Catholicis, cum opus est, adhibita. Symbolum græcè, Tesseram latinè ac signum denotat, quo fideles a cæteris discernuntur. Symbolum quod Apostolorum dicitur, ab ipsis fuisse emissum ex vetusta Traditione adversus hæreticos nonnullos apertè ostenditur. Nam id testatur Irenæus ipsis Apostolorum discipulis suppar L. 1. adv. hær. c. 10. ubi facta hujus Symboli mentione, statim addit: *Ecclesiam per omnem terrarum orbem dispersam ab Apostolis eorundemque discipulis hanc fidem accepisse, quæ est in Unum Deum Patrem omnipotentem*. Ita Tertullianus sæpe, ut l. de velandis Virg. c. 1. Ambrosius verò Epist. 7. ad Siricium P. ait « *Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Roma-*

na intemeratum semper custodit et servat, Idem confirmant cæteri Patres Luciferus Calaritanus, Cælestinus 1, Oecumenica Ephesina Synodus in Relatione ad Theodosium Aug. Hieronymus, Augustinus &c. ut ea de re ambigi nequeat. Nec huic veritati officit, quod in Actis Apostolorum ea de re silentium servetur: aut quod hoc symbolum in Canonem Scripturarum relatum non sit. Multa enim in iis Actis relata non sunt. Verum hoc symbolum non scripto sed memoriæ fidelium commendatum animadvertit Hieron. ad Pammachium ubi ait: *Symbolum fidei et spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta aut atramento, sed in tabulis cordis.* Eandem ob causam in Canonem relatum non est, quod nempe fuerit ab Apostolis ore traditum. Hinc licet certum id sit, non tamen ab Ecclesia est definitum. Nec obest discrepantia rationum quas afferunt PP. ob quas symbolum condiderunt, quæ plures esse potuere, et quæ minimè pugnant inter se. Circa tempus, satis PP. concordes sunt, illud Apostolos tradidisse antequam ab invicem dividerentur. De hoc itaque Symbolo verè dici potest, quod ait August. l. 5. de Bapt. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Demum non inficiamur, apud veteres Patres variantes aliquas in hoc Symbolo reperiri, quæ additamenta sunt contra emergentes hæreses adjecta, ut adnotant veteres inter quos Rufinus in sua *Expositione Symboli*, ubi ait « *In Ecclesia tamen Urbis Romæ hoc non deprehenditur factum quod ego propterea esse censeo, quod neque hæresis ulla illic sumpsit exordium.* »

De hujus Symboli integritate Romæ servata, testabatur quoque S. Ambrosius, ut vidimus. Scrupulum aliquibus ingerit vox « *Catholicam Ecclesiam* » quasi Apostoli eam adhibere non potuerint: Sed 1. ea reperitur apud Veteres, et præcipue apud Cyrillum Hierosolymit. qui totum Symbolum explicat. 2. Apostoli absque falsitate ulla eam vocem Symbolo inserere potuerunt, cum Catholica quamprimum Ecclesia futura esset, ac esset instituta ut ubique vigeret. Imo Apost. ad Romanos ajebat: *Gaudeo, quia Fides vestra annuntiatur in universo mundo*. Sed et ea vox spectat omnia tempora et universam Doctrinam; quo sensu scribit Lirinensis: *Eos esse catholicos, qui tenent id, quod semper quod ubique, quod ab omnibus creditum est.* Quantum verò attinet ad Cpolitanum Symbolum, aut ad Fidei professionem a Pio IV. editam, nulli esse potest difficultati obnoxium. Verum disputant eruditi de auctore Symboli Athanasiani nuncupati, cum de eo mentionem Athanasius non faciat; præsertim cum plura in eo sint contra hæreses post ipsum exortas, Eutychianam et Nestorianam. Hinc Vigilio Tapsensi ab eruditis pluribus adscribitur. Videatur Nat. Alexander H. E. Sæc. IV. c. 6. Cum tamen sit ab Universa Ecclesia receptus, Regula et ipsum Fidei est.

CXXXVIII. De motivis fidei nostræ deque illius certa notitia disputatum est contra Deistas in alio Opere *De Principiis Theologiæ* Sect. I. Cap V. et seqq. quare pauca hîc adnotare opus est. Ibi ostensum est, quod licet fidei objectum obscurum sit, sunt tamen evidenter credibilia mysteria, quæ docet: ut Psal. 92. habeatur: *Testimonia tua, Domine, credibilia facta*

sunt nimis. Et quidem illud est evidenter credibile, morali nempe evidentia omnem excludente prudentem hæsitationem, quod idoneis testibus, signis, aliisque argumentis gaudet, unde credibilitas pendet; sed hujusmodi sunt fidei nostræ mysteria, ut constat ex *Motivis credibilitatis* a S. Augustino in *libris de Civitate Dei*, a Dan. Huetio in *Demonstratione Evangelica*, aliisque explicatis; uti sunt ex. g. 1. Impletio Vaticiniorum de Nativitate, vita ac Doctrina Christi Domini. 2. Modus prorsus mirabilis quo ejus Religio in orbe propagata est, cui innumeri etiam doctissimi se subjecere, quæ inter persecutiones crevit, et ipsos oppugnatores ad se pertraxit. 3. Miracula innumera quæ in ejus confirmationem ubique terrarum patrata sunt. 4. Sanctitas Christi ejusdemque discipulorum, et aliorum innumerabilium qui scriptis et rectè factis eidem patrocinati sunt: tum ejus doctrinæ puritas ab omni errore immunis, quæ vitia damnat omnia, virtutesque commendat ac jubet. 5. Illius antiquitas et firmitas, quæ licet a perfidis incredulis acriter oppugnata, seductione ac omni armorum genere lacessita, ubique triumphat. Hæc et alia plurima quæ alibi declarata omittuntur, evincunt hujus Religionis veritatem, quæ iis gaudet characteribus, quibus alia quævis destituta est. Frustra itaque Deistæ opponunt: Fidei mysteria cum non sint evidenter vera, nec evidenter possibilia, nec evidenter credibilia dici posse; nam ingens in hoc disparitas elucet, cum evidens rei veritas et possibilitas ab intrinsecis sumantur rei prædicatis et proprietatibus: at credibilitas a motivis et testibus extrinsecis hauriatur. Ajunt rursus, quod si hæc mysteria essent evidenter credibilia, omnes quibus æque pro-

ponerentur, ea crederent; quod non contingit. Verum fallit illatio, tum quia non omnes, ut decet, attendunt, et a pravis affectibus distrahuntur; tum quia plures interiori illustrationi obicem ponunt. Sed, inquiunt, si motiva credibilitatis essent evidentia jam fides nullam haberet laudem, quæ in eo sita est, ut Deo absque demonstratione ulla credatur. At in hoc etiam oppido falluntur; cum Fidei laus non in eo stet, quod mysteria credantur sine ratione ulla ne quidem extrinseca suadente illorum veritatem; sed in eo, quod credantur absque ratione intrinseca illam ostendente: tum, quod majori firmitate credantur, quàm si intrinsecam illorum veritatem videremus. Nam alioquin clamat Apostolus, *rationabile esse obsequium Fidei nostræ.* Cæterum argumenta moralia aptiora sunt ad revincendum intellectum tam rudium quam sapientum; ut hac via melius consuluerit Deus hominibus quàm si argumentis physicis aut metaphysicis revicisset.

CAPUT III.

DE GRATIA FIDEI, DEQUE ILLIUS MERITO ET NECESSITATE.

CXXXIX. Quanquam credendi Motiva morali gaudeant evidentia, ut eisdem sine piaculo refragari non liceat; homo tamen a pravis affectibus ita non raro sinit se in transversum abripi, ut ipsi evidentiæ repugnet. Indiget ergo interiori Dei gratia, quæ et illum illuminet, et voci divinæ Revelationis docilem reddat. Fides

ergo est gratia, non tantum quia Deus se, cui vult, revelat; sed etiam, quia beneficium exterioris Revelationis non sufficeret, nisi interius mentem Deus illustraret, et cor inclinaret, ut ad superna consurgat. Hinc Fides virtus dicitur divinitus infusa quæque gratuitum Dei donum est, ut supra ostenditur N. XXXIII. et LV. Itaque Apost. ad Ephes. c 2. ait: *Deus qui dives est in misericordia ... convivificavit nos in Christo Jesu, cujus gratia salvati estis per fidem; et hoc non ex vobis, ne quis glorietur, Dei enim donum est.* Revera quæ Fidei sunt, ut ratiocinatur S. Tho. 2. 2. q. 6. A. 1. excedunt rationem humanam, unde non cadunt in cognitionem hominis nisi Deo revelante ... Quantum verò ad assensum hominis ... cum assentiendo his quæ sunt Fidei elevetur supra naturam suam, oportet quod hoc insit ei ex supernaturali principio interius movente quod est Deus ... per gratiam ».

CXL. Fides, liberale Dei donum, quam homines non pauci in Deum prorsus injuriosi et ingrati, ex pravo ingenio respuunt; hanc, inquam, Fidem esse virtutem et meritoriam esse, et ex adverso incredulitatem esse crimen habendam, nemo posset ambigere. Et quidem est merito alicui vertendum, quod veritates credat intelligentiam nostram superantes, ac nostris repugnantes affectibus, uti dogmata sunt, quæ a Deo Fide credenda proponuntur. Incredulorum id exemplum apertè ostendit; qui ajunt, non ex sua culpa esse, quod non credant, cum convicti non sint. In quo certè mentiuntur; non enim id oritur, quod convicti non sint, at ex defectu oritur voluntatis. Nam in iis quæ Fide credenda sunt, non sufficit convictum esse;

sed præterea requiritur bona voluntas et gratia excitans, quæ nemini certo desunt, sed oportet ut quis bene iis utatur. Nihil frequentius, quam invenire homines apertæ veritati pertinaciter refragantes, ut si suaderet utilitas de ipsis geometricis theorematibus non pauci ambigerent, ut quidam ajebat incredulus. Fidem itaque habere meritum ac laudem testatur Apostolus ad Hebr. XI. tantopere illam commendans: *Sancti per fidem .. adepti sunt promissiones*; Et ad Rom. 3. *Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad justitiam*. At non inde sequitur, Fidem sine operibus justum aliquem reddere posse, ut volunt hæretici: nam cum ait Apost. *Abraham non ex operibus justificatus est*, de operibus loquitur legis cæremonialis hebræorum, non de moralibus operibus, sine quibus Fides mortua esset, ut ait S. Jacobus. Insaniunt itaque increduli cum Fidem non merito, sed eventui esse tribuendam volunt; eo quod inquiunt casu non electione homines illa potius in regione, quàm alibi nati sint, ut ex geographia pendeat quod inter Christianos degant. Ineptè enim et absurdè hæc effutiuntur. Quis enim dixerit, ad salutem sufficere, ut in Christianismi sinu quis natus sit, eique credat? aut satis esse, ut quis damnetur, inter infideles vixisse? Religio sancta docet, ut quis salvus sit, opus esse Fidei conformare mores, mala opera fugere, bona sectari; eosque, qui *confitentur se nosse Deum factis autem negant*, ut habetur ad Titum 1. inter infideles esse accensendos: præterea communi consensu docetur, eos, qui Fidem ignorant, non ideo damnatum iri, quod Fidem non cognoverint, sed quia contra

legem naturalem peccaverint omnibus communem, et auxiliis restiterint iis a Deo concessis; quibus si respondissent, aut proximè aut remotè per ea ad fidem deducti essent. Casus itaque aut sors hac in re minimè locum habet, neque pro salute, nec pro damnatione, sed propria cujusque voluntas. »

CXLI. Quæritur, an rationes inductivæ, seu argumenta, quæ suadent ipsa divina Mysteria, Fidei meritum minuant? Cui respondet S. Tho. l. c. a 10. Rationes per se minimè diminuere meritum. Actus enim fidei esse potest meritorius in quantum subjacet imperio voluntatis, et in quantum procedit a libero arbitrio moto a Deo per gratiam... unde relatus in Deum potest meritorius esse. Itaque S. Petrus 1. Ep. c. 3. ait: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, Spe*... Secus si quis non haberet promptam voluntatem ad credendum, nisi quia ratione humana induceretur, et sic ratio humana inducta diminuit meritum fidei, etc. » Cum igitur S. Gregorius M. Hom. 26. ait: *Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum*: loquitur de eo qui non habet voluntatem credendi nisi propter rationem inductam. At quando habeat voluntatem credendi ex divina auctoritate, ratio demonstrativa, ex. g. esse Dei providentiam, non minuit fidei meritum. Rationes etiam præambulæ ad fidem etsi minuant rationem fidei, non tamen minuunt rationem Caritatis, per quam voluntas prompta est ad credendum etiamsi rationes non apparerent; unde nec meritum minuunt. Circa Mysteria verò non adsunt rationes quæ ad rei scientiam ducant, sed tantum re-

movent obices Fidei, ostendendo non esse impossibile, quod in fide proponitur; unde nec minuitur meritum et ratio Fidei. Neque dixeris: Qui credit, aut habet argumentum demonstrativum ut credat, vel non habet: si primum, non esset ei meritorium, cum non sit ei liberum non credere; si alterum, leviter crederet, juxta illud Eccl. 19. *Qui cito credit, levis est corde*. Nam qui credit, habet utique sufficiens argumentum inducens ad credendum; ut est divina auctoritas miraculis confirmata et, quod majus est, interior gratia Dei invitantis; unde non certe leviter credit. Non habet tamen argumentum seu sufficiens inductivum, ut rem per scientiam cognoscat; unde non tollitur ratio meriti. Sed hic est cavendum, ne in rebus Fidei expendendis plus humanis rationibus, quàm divinæ tribuamus auctoritati; nam hisce in rebus ratio humana uti ancilla habenda est. Itaque Apost. Rom. XI. habet: *Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time*. Et Ecclesiast. c. 3. *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris: Sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium, ea, quæ abcondita sunt, videre oculis tuis*.

CXLII. Hæc autem divina Fides est omnibus ad salutem æternam consequendam necessaria, (ut sup. vidimus N. CXXI. et seq.) quod luculenter evincit illud Christi Domini Oraculum Marci XVI. *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit: qui verò non crediderit condemnabitur*. Et alia plura. Hinc Ambrosius in Psalm. 37. *Fides cælum aperit, regnum*

acquirit, immortalitatem invenit. Consulatur Tridentina Synodus Sess. VI. c. 3. Atque hæc quidem ad genericam Fidei necessitatem pertinent, quam nemo certè impugnaverit: Sed quænam in specie Fides sit agnoscenda juxta Ecclesiæ doctrinam modo est inquirendum. Quod ut planè assequamur duplex Fidei necessitas declaranda est: Una quæ vocatur *necessitas medii, eaque est id sine quo effectus haberi nequit.* Oritur enim ex intrinseca ratione finis, quem nemo consequi potest, nisi mediis necessariis utatur. Itaque fides necessaria necessitate medii est illa ex cujus defectu etiam inculpabili salus æterna non obtinetur. Altera vocatur necessitas præcepti eaque oritur ex obligatione præstandi quæ fuerint constituta a legitima potestate, et quorum defectu, quando sit culpatus, a salute consequenda prohibemur. Fides præterea alia est *explicita*, alia *implicita*: et illa est, *cum Fidei articulus determinatus per se et apertè creditur*: altera, *cum unus articulus veluti in altero inclusus creditur*, ut cum creditur quidquid credit Ecclesia, ita ut illi articuli immediatè et clarè non attingantur.

CXLIII. Itaque fides quæ est de *necessitate medii*, quovis tempore et quo ad omnes fuit ad salutem absolutè necessaria, sive habitualis tantum ut in infantibus per sacramentum eis infusa; sive etiam actualis, ut in adultis. Hæc autem actualis fides quæ sit tantùm naturalis, deducta scilicet ex testimonio creaturarum aut ex simili motivo, non sufficit in adultis ad justificationem obtinendam, ut patet ex damnata ab Innocentio XI. prop. (n. 23.) « Fides latè

talis ex testimonio creaturarum similive motivo ad justificationem sufficit » Cui respondet Tridentinum sessione 6. can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti adjutorio hominem credere ... posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*. Revera naturalia opera proportionem habere nequeunt ad supernaturalia dona; quare adultis necessaria est ad salutem necessitate medii Fides actualis supernaturalis. Nec opponatur, quod ait Apost. Rom. 1. et 2. de gentilibus, *qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*, et, *naturaliter quæ legis sunt faciunt*. Nam de operibus naturalibus loquitur, quibus salus æterna promissa non est: aut si de supernaturalibus sermonem habet, ea sine gratia minimè fieri docet. Præterea quovis tempore et quo ad omnes necessaria fuit ad salutem necessitate medii Fides supernaturalis explicita tum Dei existentis, tum Dei remunerantis, uti Apostolus docet ad Hebr. XI. *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit*. De Fide autem supernaturali loqui Apostolum liquet ex quo de patriarcharum Fide sermonem habeat. Itaque Innoc. XI. eam damnavit prop. « Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris »

CXLIV. Distingui autem solet Fides supernaturalis *strictè* sumpta, et *latè* accepta. Prior est, quæ elicitur ob Dei revelantis testimonium externo hominum ministerio propositum, ut est, quam ordinaria via fideles concipiunt. Altera est, quæcumque supernaturalis cognitio aliunde orta, velut ab interna Dei inspi-

ratione, Angeli apparitione etc. Hanc posteriorem iis sufficere ad salutem qui nequeunt aliunde priorem habere, catholici plures tenent, aliis pro necessitate prioris ex adverso stantibus, qui pro præsenti tempore fidem Incarnationis Filii Dei explicitam statuunt; licet ante hoc peractum mysterium implicitam suffecisse concedant: sicut habet Apost. ad Galat. 3. *Priusquam veniret Fides, sub lege custodiebantur inclusi in eam Fidem quæ revelanda erat*. Aliquibus tamen prophetis hoc mysterium revelatum fuerat, dicente Christo Jo. VIII. *Abraham exultavit ut videret diem meum: vidit, et gavisus est*. (Vid. S. Th. 2. 2. q. 2. a. 7.). Inter gentiles verò, si quidam salutem sunt consecuti, ait S. Thomas ibid. eos vel accepisse revelationem de Christo, ut de Jobo constat ex ejus verbis c. 19. *Scio enim quod Redemptor meus vivit:* vel salvatos non fuisse absque Fide aliqua Mediatoris: *quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina Providentia, credentes Deum esse liberatorem secundum modos sibi placitos*; Atque de his quidem nullum inter catholicos dissidium viget. Controversia itaque est de præsenti statu, quo cum Evangelium esset sufficienter promulgatum alii sentiunt, adultorum neminem absque explicita Jesu Christi Fide salutem posse consequi æternam, ut aliquo modo Trinitatis et Incarnationis mysteria cognosci debeant; quod ostendunt ex illo Joan. 3. *Oportet exaltari Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam* &c. Et c. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant Te solum verum Deum, et quem misisti Je-*

sum Christum. Ad Rom. X. *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et corde tuo credideris quod illum Deus suscitavit a mortuis, salvus eris*. Alii tamen, ut Catharinus et Mel. Canus, inficiantur hanc necessitatem Fidei explicitæ ut salvi sint, sed sufficientem esse aliquando implicitam in divina Providentia, sicut ante Christi adventum: aut si necessaria ea sit, Deum eam Fidem explicitam supplere extraordinario modo. Nam alioquin ea impossibilis respectu multorum videtur, ut respectu quorundam mutorum a nativitate: aut eorum qui baptizati ad usum rationis pervenerunt, et antequam erudiantur in fide, moriuntur: aut eorum etiam qui in regionibus ignotis degunt; qui cum homines sint et ad eundem ac nos finem directi, mediis ad eundem finem consequendum destitui, dicendum non est; cum in necessariis Deus non desit. Quare S. Thomas l. c. affirmat, Deum iis etiam qui de Evangelii lege nihil audiverunt, aut naturæ via, aut secretiore alia eas suppeditare et cognitiones et gratias, quibus ii vitam possint æternam consequi: *Credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos, et secundum quod aliquibus veritatem cognoscentibus Spiritus revelasset, secundum illud Jobi* 35. *Qui docet nos super jumenta terræ*.

CXLV. Ajunt sententiæ adversæ patroni: Credere est cogitare cum assensione: hinc nequit concipi Fides isthæc implicita; nam quod tale est, id nos lateat oportet; alioquin non implicita sed explicita esset fides: neque ergo id credere possumus. Dein ait Apost. *Fides ex auditu... quomodo credent sine præ-*

dicante? Ut explicita requiratur Fides. At respondent alii; quod 1. opponitur, falsum exemplis ostendi. Nam idiotæ ac tardi plurima credunt non alia quam hac Fide implicita et quasi tacita; qua, ait S. Thomas, Dei providentiam nobis persuademus, et qua certi sumus, Deum hominum misereri, nec eos ita deserere, ut nullo modo beati esse possint, Hanc doctrinam significare volebant veteres Patres Clemens Alex. Justinus, Chrysostomus, dum absque explicita Fide in Christum ethnicos salvos esse potuisse docent. Ea de re videndus Calmet. Dissert. in Ep. ad Rom. ubi hanc agitat controversiam, eamque ita exorditur: «Cum de æterna salute et damnatione judicium ferendum est nulli parcendum cautioni autumamus etc.» Vid. Bened. Pererius in Gen., Did. Payva, Andradius etc. Ad 2. *Fides ex auditu*, de qua Apost. ita est interpretandus ut sit vel ex corporeo auditu, vel ex auditu mentis interno. Ait Augustinus: *Magistri verberant aures; at Deus cor ipsum hominum auritum efficere potest.* Quæcumque igitur adducuntur pro necessitate hujus Fidei explicitæ, vel de necessitate præcepti intelligenda sunt, vel de necessitate medii in voto, vel de necessitate medii habitus Fidei, vel de eadem necessitate respectu eorum, quibus hæc mysteria essent sufficienter proposita etc. Discrimen verò inter Veterem et Novam Legem in eo stat, quod hæc Fides explicita in Nova est de necessitate præcepti, quæ non erat in Veteri. Provisum autem est, ut hæc Fides quantocyus annuntiaretur, quod sit hoc medium ordinarium et facilius ad salutem, non verò quod aliter haberi omninò non possit. Chrysostomus autem qui gentilibus re-

ctè viventibus salutem spondet, et Augustinus qui insuper Fidem requirit, facilè conciliantur; quod hic fidem implicitam requisierit: ille implicitam pariter subintellexerit, ut ex utriusque doctrinis evincitur. Tria ergo de hac re certa sunt. 1. Justos Veteris Legis magna ex parte habuisse fidem in Christum, quibus ea fuerit principium justificationis, ut ex Trid. Sess. 6. cap. 2. 2. Eos omnes quibus ea cognitio possibilis fuerit, debuisse in Christum credere sub damnationis pœna. 3. Sine ea Fide saltem implicita neminem justificari posse, nec jure frui ad consequendam vitam æternam; quæ utique fide catholica certa sunt.

CXLVI. Verum non pauci ad extrema dilapsi sunt. Alii cum Arnaldo (*Trait. de la Foy en J. C.*) contenderunt, omnibus ad salutem necessariam semper fuisse Fidem explicitam distinctamque in Christo Jesu. Alii cum Erasmo ex adverso, recenter etiam, adeo dilatarunt salutis viam, ut ethnicos, mahometanos, hebræos, hæreticos, schismaticos turmatim salutem assequi sempiternam facile posse docuerint; cujus erroris accusatus est etiam Marmontellius in suo *Belisario* c. 10. ubi idololatris pluribus cælum indulget. Nota est Erasmi ea vox de Socrate « Parum abest, ut dicam, sancte Socrates ora pro me » De Platone, Aristotele, Xenophonte, Cicerone, Virgilio etc. idem alii sensere; Quæ temeraria deliria sunt. Inter extrema itaque recta sententia incedit; ad salutem nempe Fidem obscuram et implicitam in Mediatorem de necessitate medii sufficere; quanquam definire difficile sit, in quonam consistere hæc debeat: ut tamen etiam post salutarem Christi adventum æ-

ternæ vitæ consecutio gentilibus difficilior non sit ac antea fuerit; ne deterioris conditionis modo evaserint. Ultimo itaque statuendum est: De necessitate præcepti post Christi adventum necessariam esse adultis omnibus Fidem explicitam in Christum Jesum una cum præcipuis Trinitatis et Incarnationis Dominicæ mysteriis, juxta S. Petrum annuntiantem Act. 4. *Non est in alio aliquo salus: nec enim est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Et Apost. ad Gal. 2. 16. *Non justificatur homo... nisi per Fidem Jesu Christi*: cum aliis sup. relatis N. CXLIV. Itaque Innoc. XI. has propp. damnavit «Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, et etiamsi per negligentiam culpabilem nesciat Mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis Domini N. J. C.» Et «Sufficit illa mysteria semel credidisse» Huic autem Fidei 1. opponitur *infidelitas*, quæ aut *negativa* est, aut *positiva*: illa est in eo qui de Fide nihil unquam audivit: hæc est falsæ religionis professio in eo, qui Evangelium audivit; et hæc maximum peccatum est. 2. *Hæresis*, quæ est voluntarius et pertinax error contra veritatem Fidei aliquam ab Ecclesia propositam: hæreticus etiam formalis est, qui de ea veritate seriò dubitat; nam dubius in Fide, infidelis est. 3. *Apostasia* Fidei opponitur, quæ est ejuratio totius Christianæ doctrinæ: dicitur etiam apostata, qui e Catholicæ Ecclesiæ sinu ad hæreticorum castra commigrat. Et hæc de Fidei virtute satis dicta sint.

CAPUT IV.

DE VIRTUTE SPEI THEOLOGICÆ.

CXLVII. Licet Spei nomen latè sumptum cujuscumque rei expectationem significet, ut Judith. 13. *Sperabant jam eam non esse venturam*: nempe timebant; ut etiam Virgilius « Hunc ego si potui tantum sperare dolorem » Æn. 4. et 6. « At sperate Deos memores fandi atque nefandi » Spes tamen sumpta pro virtute Theologica non nisi expectatio rei prosperæ et rerum bonarum est; atque idem est ac Fiducia in Deum, quæ propriè ad Fidem Christianam pertinet, quæ dum augustum nobis characterem impressit filiorum Dei, eam nobis fiduciam inspirare intendit erga supremum bonorum omnium largitorem, quam filii bene morati servant erga parentem suum cujus amoris effectus semper experti sunt. De hac ajebat Christus discipulis Jo. 16. 33. *Confidite: ego vici mundum*. Et Apostolus ad Hebr. X. *Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem:* et 1. Jo. c. 3. *Omnis qui habet hanc spem in Deo, sanctificat se, sicut ille Sanctus est*. Præstat igitur hanc Virtutem apprimè cognoscere, qua a servili timore liberamur, et hac spe nos erigendo in Dei benignitate confidimus. Definitur Spes Theologica: *Virtus divinitus infusa ad salutem æternam necessaria, qua certa cum fiducia Christi meritis innixa, a Deo bona nobis præparata expectamus:* qua definitione tria significantur, Spei nempe nostræ objectum, characte-

res, et fundamentum. Ac circa spei objectum quatuor concurrant oportet. 1. ut sit bonum, in quo differt spes a timore. 2. Quod sit futurum; et in hoc differt a gaudio quod est de præsenti. 3. quod sit aliquod arduum cum difficultate acquirendum, et in hoc distinguitur a desiderio, quod pertinet ad concupiscibilem, cum spes ad irascibilem spectet. 4. Quod arduum illud sit possibile adipisci, et in eo differt a desperatione (S Tho. 1. 2. q. 40. a 1.)

CXLVIII. Spei itaque objectum primarium est ipse Deus quatenus ejus fruitio in æterna vita obtineri potest, qui ad Abraham dixit: *Ego ero merces tua magna nimis:* Media verò ad eam consequendam necessaria objectum sunt secundarium, quod et objectum formale dicitur, nempe ratio et modus quo ad Deum pervenire possumus; per Dei omnipotentiam scilicet et misericordiam, qua bona operemur. Spei autem characteres sunt, desiderium, et fiducia; nemo enim sperat quæ non amat: fiducia verò qua certo confidamus, ea quæ cupimus obtenturos: certò, inquam, quantum ad nos hypotheticè et conditionatè, si nempe adimpleverimus quæ ad hoc Deus jubet: certi autem respectu Dei eum fideliter impleturum, quæ nobis promisit; qui *fidelis est in omnibus verbis suis*, ut habet Psalm. Itaque Apost. ad Hebr. 6. 19. *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Nam ut Eccl. 2. *Nemo speravit in Domino, et confusus est.* Respectu tamen nostri salutarem timorem non excludit, ut sæpius ostendimus (V. N. cxxiv.). Non ergo certitudine fidei tenendum est, quidquid egerimus salvos futuros, ut protestantes absurde

somniarunt; sed ita, ut ex parte nostra juxta Apostol. ad Philipp. 2. *Cum metu et tremore salutem nostram operemur*. Observat autem S. Th. 2. 2. q. 19. a. 10. timorem pœnæ seu servilem imminui crescente spe: at ea crescente filialem timorem crescere, ne excidat a concepta spe. Demum fundamenta spei nostræ sunt omnipotentia Dei et ejus Misericordia: Hinc Psal. 13. *Ego autem in Misericordia tua speravi*. De quibus certus est, qui fidem habet. Potest autem fides haberi sine spe, non autem spes sine fide; quæ propterea dicitur ab Apost. *Sperandarum substantia rerum*. His fundamentis accedunt etiam motiva quædam spei; ut gratiæ jam nobis a Deo concessæ, et præceptum sperandi nobis a Deo datum, qui id non præciperet, nisi veram haberet voluntatem salutis nostræ. Hæc autem Spes vel est *habitualis* vel *actualis*: prior est *dispositio in homine permanens et ad supernaturalia bona a Deo speranda inclinans*. Actualis, quæ in actibus transeuntibus consistit, est actus quo Mens per gratiam excitata certa cum fiducia bona æterna expectat. Habitualis vel est infusa ut in parvulis baptismo donatis: vel acquisita ut in fidelibus adultis. Utraque, sive Habitualis sive Actualis, est aut *viva*, *et formata*, ut in justis: aut *mortua et informis*, quæ Caritate orbata est, et in peccatoribus reperiri potest.

CXLIX. Hisce prænotatis statuendum est I. Quod Actus Spei supernaturalis necessarii sint ad salutem tum necessitate medii, tum necessitate naturalis præcepti, tum necessitate præcepti divini. Et 1. necessarii sunt necessitate medii, cum sine hac spe salus æterna obtineri non possit, ut ad Rom. 8. 24. *Spe salvi fa-*

cti sumus. Quare Trident. inter dispositiones adultis ad justificationem obtinendam requisitas exigit, *ut in spem erigantur fidentes, Deum sibi propitium fore*. Non enim vult Deus salvos eos facere sine propria cooperatione, quæ non fit sine spe per quam ad Deum tendunt, et adversus difficultates eriguntur. Deinde cum necessum sit credere in Deum remuneratorem, necessum quoque est per spem in illum ferri. Hinc Apost. ad Coloss. 1. ait, fideles sanctos futuros, *si tamen permaneant in Fide fundati et stabiles et immobiles a spe Evangelii*. Est ergo ad salutem omnino necessaria spes. 2. Hi actus sunt etiam necessarii necessitate præcepti naturalis; cum lex naturalis exposcat, ut media ad salutem necessaria adhibeamus; inter quæ spei actus recensentur. 3. Hæc spes est necessaria quoque ex Dei præcepto; nam quod est de necessitate medii, est etiam de necessitate præcepti divini; ut propterea in Scripturis spes præcipiatur: ita Osee XII. *Spera in Domino tuo semper*: et 2. Petri 1. *Sperate in eam, quæ vobis offertur gratiam*. Meritò itaque Alex. VII. eam prop. proscripsit « Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, et Caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium » Ut autem de actu Fidei dictum est, ita suo tempore et loco actus spei eliciendus est.

CL. Statuendum itaque est II. Actus Spei Theologicæ bonos esse omnino et commendandos tum in omnibus fidelibus, tum etiam in justis quantumvis perfecta caritate insignitis. Nam ad fideles omnes ait Christus Matth. 6. *Quærite primùm Regnum Dei . . .* Et postea: *sic orabitis: Pater noster . . . ad-*

veniat Regnum tuum. Hæc autem, quæ præcipiuntur et commendantur, spem includunt Regni æterni, et laude digni habendi sunt. Ita Psal. 26. ait propheta: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini*. Et Apost. ad Coloss. 3. fideles hortatur: *Quodcumque facitis ex animo operamini . . . scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Et c. 1. dixerat: *Propter spem, quæ reposita est vobis in cælis*. Itaque Tridentina Synodus Sess. 6. can. 31. *Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis operatur, anathema sit.* Hinc patet secunda prop. pars. Nam Christus Apostolos alloquens, quos certè perfectos in Caritate volebat, eis præmium æternum ob oculos ponit Matt. V. inquiens: *Gaudete et exultate quoniam merces vestra copiosa est in cælis*. Et Lucæ X. *Gaudete, quod nomina vestra scripta sint in cælis.* Atque ita passim. Quare S. Bernard. *De diligendo Deo* c. 15. habet: *Nescio si a quoquam hominum quartus gradus in hac vita perfectè apprehenditur; ut se scilicet diligat homo tantùm propter Deum: Asserant hoc si qui experti sunt; mihi, fateor, impossibile videtur*. Ubi non inficiatur, in iis qui tertium perfectionis gradum attigerunt, dari actus aliquos, quibus homo diligat Deum absque intuitu mercedis; sed contendit, nullum esse statum vitæ hujus, in quo amor sui aliquam non habeat partem, nec spe ulla moveatur mercedis æternæ. Revera si juxta pseudo-mysticos a summo perfectionis statu spes et timor exulare debent, quo perfectior quis erit, eo magis indifferentem se habebit circa propriam salutem, et a fortiori ci ca salutem aliorum; un-

de sequeretur imperfectos fuisse Apostolos, qui tanto studio curarunt populorum salutem; et aliquem esse perfectiorem, quo magis iners et otiosus stabit; quod est absurditatis summum. Meritò igitur proscriptus est uterque *Quietismus*, non tantum crassior a Michaële de Molinos inductus, sed etiam *Semiquietismus*, de quibus nonnulla dicenda sunt.

CLI. Quidam itaque Quietismi exordia ab Origenistis ducunt, et ab Evagrio diacono, qui juxta Epiphanium affectiones omnes auferre conabantur. Beguardi Sæc. XIII. volebant, homines perfectos non indiguisse amplius orare aut alia bona exercere opera, sed facere omnia absque Dei offensa. Prior Quietismus spiritualis erat: posterior hic crassior et carnalis. Inter utrumque incessit Mich. de Molinos hispanus, qui an. 1675. Romæ *Directorium spirituale* vulgavit, juxta cujus doctrinam, 1. in illo conficto perfectionis statu anima nihil amplius considerat, et in absoluta inactione et quiete se tenet. 2. Eo in statu nihil desiderat aut sperat, nihil timet. 3. Usus Sacramentorum et alia opera tunc indifferentia sunt; et imaginationes omnes quantumvis vitiosæ, quæ in anima contingunt, non sunt peccata. Hinc perturbatis omnibus affectibus viam pandit, ut hæc deliria confutare opus non sit. Jure igitur Molinosii opuscula ab Innoc. XI. damnata sunt, et auctor hypocrita detectus carceri mancipatus est an. 1687. ubi pœnitens obiit an. 1689. Inter ejus itaque propositiones 68. damnatas an. 1685. prop. 7. ita se habet « Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de inferno, nec de morte, neque de æternitate» Et prop. 12. « Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de

nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de Paradiso, nec debet desiderium habere propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem expurgare debet» « Et alia similia fictæ sanctitatis portenta docebat, ut nec Deum esse orandum, nec illi gratias agendas, sed in Dei tantum contemplatione, et in illius voluntatis conformitate perseverandum. Quare contendunt Quietistæ, perfectionem consistere in statu passivæ contemplationis, quin fiat usus facultatum mentis, indifferenter considerando quidquid eo in statu sive in animo sive in corpore nobis contingat. Statum hunc *Quietem* vocant, unde *Quietismi* nomen ortum est.

CLII. At Quietismo Molinosii nonnulli abusi sunt, inter quos Lacombius, illum tamen temperantes et spiritualem reddentes, quem Lacombius insinuabat *Boveriæ de la Motte viduæ Guyon*, unde controversiæ ortæ sunt in Galliis inter Bossuetum et Fenelonium; quorum prior illo spirituali ac temperato Guyoniæ Quietismo obsistebat, alter favebat: donec Fenelonii liber Documenta Sanctorum complectens (*Explication des maximes des saints*) ab Innocentio XII. an. 1699. damnatus est, quem statim Fenelonius ipse, raro exemplo, publicè proscripsit, atque ita Quietismus uterque extinctus est. Inter propp. 23. in libro Fenelonii proscriptas prima erat. « Datur habitualis status amoris Dei qui est caritas pura, et sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habet amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, nec propter felicitatem in amando inveniendam » Altera vero «In statu vitæ contemplativæ sive unitivæ amittitur omne mo-

tivum interessatum amoris » Atque ita reliquæ, quibus sanctitatis status quidam absurdus invehebatur, quem derelictionis, et destructionis propriæ voluntatis ac status perfecti amoris esse volebant. Revera falsò putabant illi pseudomystici, Amorem Spei nostræ adversari perfectæ caritatis amori: illo enim Deus diligitur ut auctor nostræ felicitatis, atque uti remunerator, a cujus benignitate copiosa merces speratur in cælis: Caritatis autem amore diligitur Deus ut in se summè bonus, summeque amandus, et qui sola sua visione beatos facit; qui amor non modo non excludit, quinimo aptissimus est ad spem nostram incendendam, ut ejus beata visione fruamur. Quare si quis ex. g. alicui scientiæ daret operam tantum ob lucrum quod inde expectatur, amor esset non scientiæ sed lucri et utilitatis: at si ei scientiæ navabit operam, non lucri causa, sed gaudio ductus, quod experitur pulchritudinem contemplando veritatum quæ in illa scientia detegit, notio exhiberetur amoris puri et gratuiti erga scientiam illam, ita ut amor excellentiæ illius scientiæ motivum sit erga illam affectus. Amor autem hujusmodi non modo non excluderet, sed excitaret potius affectum eam scientiam possidendi quò perfectius fieri posset; ut ineptus ac ridendus se proderet, qui, ut puritatem sui amoris erga scientiam illam ostenderet, renuntiare se diceret illius quoque Scientiæ studio ac jucunditati et gaudio quod ex ea experitur, ne sui amoris puritatem erga illam contaminare videretur. Amor itaque purus et gratuitus non repugnat amori innato felicitatis: Nam objectum oblectare potest vel ob perfectionem quæ in ipso consideratur, vel ob aliquam inde provenientem

utilitatem, sed quæ ab illo distincta sit; ita ut innatus felicitatis amor et in amorem utilem influat, et in gratuitum amorem; Proindeque discrimen inter utrumque non a principio est repetendum quo ad felicitatem ferimur, at vero a motivorum diversitate: in amore utili motivum non in objecto est, sed in subjecto amante, seu in bono quod sibi provenit ab objecto: in amore verò gratuito motivum est cognita objecti perfectio, et amabilitas, quam animus approbat, eaque delectatur. Si igitur delectationis motivum fuerit ipsius objecti perfectio, amor erit gratuitus: si autem fuerit bonum aliquod ab objecto distinctum, adeo ut amor non se convertat nisi oblique ad principium a quo bonum expectat, hoc in casu amor erit utilitatis. Verum cum quilibet gratuitus amor delectationem semper aliquam complectatur circa objectum amatum, hinc necessariò desiderium oritur se uniendi ad ipsum, ut in eo quiescat et felix sit. Itaque philosophicè etiam loquendo falsum est Quietistarum principium, quod nempe amor gratuitus excludat amorem felicitatis, aut illam excludere debeat.

CLIII. Sed videamus quænam in suæ causæ patrocinium Quietistæ afferebant. 1. Matth. 16. ait Dominus: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* Et Lucæ 14. *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum ... adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus*: Omni itaque spei renuntiare oportet. 2. Moyses Exodi 32. quodam caritatis excessu exclamat ad Dominum: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Quasi pro salute populi optaret sui damnationem. Quod et Apostolus desideras-

se videtur Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Ajunt etiam, amorem quo quis Deum amat ut sibi beneficum, amorem esse concupiscentiæ; ergo imperfectus est. Demum spes cum timore est conjuncta; sed juxta Joan. 1. Ep. 4. 18. *Timor non est in caritate; sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet: qui autem timet, non est perfectus in caritate.* Itaque a perfecta caritate spes exulare debet. Sed hæc facile dissipantur: Nam quantum ad Christi verba, falsum est in sui abnegatione ab eo jussa comprehendi quoque abdicationem spei æternæ mercedis, quæ potius proponitur sæpe, ut hic finis obtineatur. Ita Matth. 19. *Qui enim reliquerit domum.... propter nomen meum centuplum accipiet et vitam æternam possidebit.* Terrenorum itaque affectuum abnegatio præcipitur, ut æterna habeamus. Quod ad Moysen spectat; ipse a temporali tantum vita precatur exire, sicut Num. XI. orabat: *Sin aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me.* Aliàs per impossibilem hypothesim locutus esset, *attendens justitiam et misericordiam Dei*, ut habet Augustinus. Apostolus verò ad tempus appellat, quo persequebatur Christi Ecclesiam ut gratificaretur judæis, quorum parti ut adhæreret, a Christo fiebat alienus: Aliter absurdè locutus esset. Neque imperfectus dicendus est amor quo Dei possessio speratur; imperfectus quidem esset, si diligeretur Deus ob commodum aliquod extra Deum: non si diligatur ob Deum ipsum summum bonum nostrum ac uti finem consequendum. Hinc S. Tho. in 3. Sent. dist. 26. q. 2. a. 1. ait: *Facere aliquid propter aliquod commodum temporale,*

facit actum mercenarium, non autem facere propter remunerationem æternam. Quare tres distinguuntur Dei amores. 1. Amor amicitiæ, quo diligitur Deus propter seipsum. Alter est amor concupiscentiæ, quo Deus amatur ut bonus nobis, et hic subdividitur in amorem sanctum, quo sola desideratur Dei possessio: et in amorem inordinatum et vitiosum, quo Deus non diligitur nisi propter nostram utilitatem 1. est actus caritatis justificans. 2. est amor spei, bonus. 3. est vitiosus, ut qui mercedem respicit ut ultimum finem, et quo non diligeremus Deum *super omnia*, sed nos ipsos suprà Deum diligeremus; qui non nos ad Deum,sed Deum ad nos nostrumque commodum et felicitatem præposterè ordinaremus. Ut ergo Sanctus sit amor, oportet ut plus Deum diligamus, quam utilitatem nostram aut beatitudinem. Demum S. Joannes docet, quod Caritas foras mittit timorem servilem, non verò filialem, ac spem multo minus. Itaque Apostolus ex filiali timore ajebat: *Ne fortè cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*.

CLIV. Plura hic quæri solent. Et 1. An liceat sperare a Deo alia bona seu spiritualia seu temporalia? Resp. Cum omnia in Deum ut in finem ultimum æquum sit referre, si in aliis bonis, quæ sperantur, primarius et ultimus finis collocetur, inordinata spes et vitiosa erit: si verò illa sperentur secundariò, ac in Deum ut in ultimum finem atque ad ejus gloriam referantur, sperare licebit. Quæritur 2. Quinam sint Spei effectus? Resp. Multos recenseri. Et 1. in peccatoribus spes supernaturalis ad Deum excitat, ac solicitat ad eum orandum ut media salutis obtineant. 2. In justis ordinatum ingerit vi-

tæ hujus contemptum : præterea firmat in periculis : fugat animi perturbationes, ac salutarem incutit Dei timorem. Spes itaque etiam in peccatoribus superest, qui, ut docet Trident. Sess. 6. cap. 6. *a divina gratia adjuti in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore* &c. At clarum est, Spem uti et fidem in Beatis non superesse, in quibus sola Caritas permanebit, quæ ut ait Apost. *nunquam excidit.* Quæritur 3. Quænam sint vitia Spei opposita? Ac duo numerantur, *desperatio*, et *præsumptio* : prior est voluntaria diffidentia beatitudinem obtinendi, et media ad illam consequendam necessaria; cujus causa est *acedia*, seu ignavia, tristitia, languor et tædium in exercitio virtutis : præsumptio est inordinata fiducia beatitudinem obtinendi alia via præter eam, quam Deus statuit, ut illam assequamur: utrumque vitium ex genere suo lethale.

CAPUT V.

DE VIRTUTE CARITATIS THEOLOGICÆ

CLV. Ad principem omniumque virtutum maximam contemplandam est modo accedendum. Hæc proprium Novæ Legis characterem designat, qua Filii Dei nominamur et sumus, et sine qua nulla vera et perfecta virtus datur. Ac primo discrimen intercedere inter Amorem Spei, et Amorem Caritatis jam supra adnotatum est (N. CLII.) Nam Spei amore diligitur Deus ut auctor et causa beatitudinis, quæ ab ipso oritur : et caritatis amore Deus diligitur propter suam bonitatem et amabilitatem, ac ut ipsum beatitudinis objectum est.

Quare hic purus amor non excludit, sed potius desiderium accendit se Deo uniendi uti ultimo fini. Nam diligere Deum uti summo amore dignum secum affert jucunditatem, ac ejus perfectionibus delectari significat, et desiderium importat perpetuo in ipso quiescendi; quod exprimitur Psal.36. 4. *Delectare in Domino* &c. Et 1. Pet. 1. *In quem desiderant Angeli prospicere*: Quo ardor Caritatis significatur, ut in Deo quiescat. Hinc S. Tho. 2. 2. q. 23.... in amore Caritatis semper relationem ad Deum comprehendit ut ad ultimum finem. Ex diversa itaque ratione qua in Deum tendunt, hæ duæ Virtutes differunt inter se: Spes movet in Deum velut in principium unde in nos felicitas venit: Caritas nos Deo conjungit uti Objecto summè bono maximeque amore digno, in quantum ejus amabilitas trahit ad se omnem affectum delectationemque nostram. In spe Deus exhibetur a S. Thoma uti principium efficiens et causa finalis beatitudinis: in Caritate, uti objectum illius, quæ utique differunt inter se. Hæc sufficiunt ad abnorme Quietistarum systema aperiundum, et jam supra explosum (N.CLIII.) Ex his evitatur etiam, ne Spei objectum collocetur in beatitudine formali, quod inordinatè fieret, cum hæc sit aliquid creatum in anima: Nam discrimen omne inter utramque virtutem in eo stat, ut eæ referantur ad Deum sub diversa ratione consideratum.

CLVI. Modo ad rem nostram 1. eruditi inquirunt, undenam vox Caritatis oriatur. Quidam a græca voce χαρις, *gratia* seu *donum* eam desumunt, et ex ea etymologia cum aspiratione *Charitas* ab iis scribitur: alii verius à latina voce *Carus*, dilectus, pretiosus deducunt; ut inde *Caritas*, sive dilectio derivata sit. Hinc usus jam

inolevit, ut ab hoc vocabulo aspiratio expuncta sit. Revera Caritas in græco *απο της χαριτος* non desumitur, at vero dicitur aut *αγαπη*, *amor*, aut *φιλια*, sive *amicitia*. Hunc sensum videtur Apostolus eidem dedisse, cum eam vinculum appellat, quo per amicitiam unimur, ad Coloss. 3. 14. inquiens: *Super omnia autem hæc caritatem habete, quod est vinculum perfectionis*. Caritatis autem nomine in sacris Literis 1. ipse Deus sumitur, qui per essentiam est Amor: sumitur etiam pro amore quo Pater et Filius producunt Spiritum sanctum, et vicissim quo Spiritus sanctus producitur; quare 1. Jo. 4. *Deus Caritas est*. 2. Accipitur in Deo pro actu amoris, qui extra se fertur: ut ab Apost. dicitur: *Propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, filium suum misit* etc. 3. Pro effectu sumitur divinæ benevolentiæ in nobis, quo rectum amorem inspirat; ut ad Rom. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum*. Hæc autem virtus in nobis definitur « Virtus divinitus infusa, qua Deus diligitur super omnia propter se, et proximus propter Deum » Quæ est definitio habitus Caritatis: Actus igitur erit exercitium ejusdem habitus. Quatuor nominibus in Scripturis hæc virtus designatur, *Amoris*, *Dilectionis*, *Caritatis*, et *Amicitiæ*; quæ licet pro synonimis habeantur, differre tamen possunt, ut Amicitia sit quasi habitus, Amor et dilectio actum significent, Caritas utroque modo accipiatur. Dilectio tamen super amorem addit præcedentem electionem, ut nomen sonat; hinc sedem habet in voluntate rationalis naturæ. Caritas autem super amorem addit perfectionem quandam amoris, in quantum, quod amatur, magni pretii habetur, ut nomen designat. (V. S.

Tho. 1. 2. q. 26.) Caritas itaque aut naturalis esse potest, aut supernaturalis: illa est prælatio virtutis moralis, quæ sit laude digna: hæc Legis Evangelicæ propria est, et collocanda ejus essentia est *in Amicitia quadam hominis erga Deum,* quam dari Scripturæ expressè affirmant, ut Jo. 15. v. 15. *Jam non dicam vos servos... vos autem dixi amicos*: ait Christus discipulis. Et Psal. 138. *Nimis honorati sunt amici tui, Deus.* Nec refert, quod Deus non amet creaturas propter illas, sed propter seipsum; quanquam enim Deus ad seipsum ultimo referat amorem suum, proximè tamen refert ad utilitatem hominum; et hoc sufficit ad amicitiæ amorem, qui est amor cum benevolentia, qua bonum alicui volumus: nam si bonum nobis vellemus, non jam amicitiæ, sed concupiscentiæ amor esset. Cæterum in homine amor meritum in amato supponit: at Deus illud non supponit, cum meritum ipse efficiat, qui fons est omnis boni. Ex quo verò incerta sit creatura, an vicissim a Deo ametur, hoc amicitiæ rationem non tollit cum ex signis moraliter sibi persuadere possit a Deo amari. Nec obloquantur deistae, impossibile videri quod amari Deus possit qualis in Evangelio exhibetur, terribilis nempe et formidandus, qui crimina per totam puniat æternitatem. Respondemus enim, id impossibile improbis videri posse quoad usque diligunt iniquitatem, seipsos Deo anteferunt, eumque ipsos redarguentem odio prosequuntur, eidemque obsistunt. Satius eis fuerit, si Dei justa jndicia metuerint, ut felicitatem in virtute collocare incipiant, seque paulatim ad Deum convertere. At probi homines Deum ut justum ac sanctum maxime diligunt, qui si crimina non puniret, ne-

que remuneraret virtutem, sed perinde ad utrumque se haberet, quod et essentiam Dei everteret, ac hominum societatem funditus labefactaret. Ea igitur de causa, qua Deus fit improbis invisus, probis ac justis fit maxime amabilis.

CLVII. De objecto Caritatis clarum est, quod Deus sit; sed in materiale et formale distinguitur: primum dicitur circa quod hæc Virtus Caritatis versatur: alterum est ratio sub qua Caritas suum objectum respicit, eaque est Dei bonitas infinita et amabilis super omnia. Sed et objectum materiale duplex est: aliud primarium et adæquatum, quod est ipse Deus: aliud secundarium, nempe nos ipsi et alii homines, quos propter Deum diligere tenemur. Rursus objectum formale in primarium distinguitur et secundarium: ut illud sit infinita Dei bonitas per se ipsam amabilis; ut hinc Amor benevolentiæ dicatur, quo Deo bonum volumus, deque ejus bono gaudemus: unde qui verè Deum amant, cupiunt, ut ab omnibus ametur et glorificetur; ac maxime dolent cum eum offendi vident. Secundarium autem formale est ipsa Dei bonitas quatenus nobis benefica est, ut Deum amemus prout est summum bonum nostrum nostramque complectitur felicitatem; qui amor concupiscentiæ dicitur. Utrumque objectum in voluntate justorum simul unitur, ac secundarium in primario includitur, cum Deus esse nequeat nisi summe beneficus. Hinc ob ejus benevolentiam Deum magis amamus. Non ergo approbanda videtur Vinc. Bolgenii opinio, qui perfectam caritatem, quæ etiam ante pœnitentiæ Sacramentum justificet, vult hunc esse secundarium amorem concupiscentiæ; quod sententiæ communi contrarium est. Quomodo autem perfecta Caritas ab imperfecta distinguatur; quidam ponunt, non

diversis motivis, sed a majori intensitate seu ardore discerni: alii volunt, perfectam consistere in amore Dei propter ipsum; imperfectam verò semper adjunctum habere motivum nostræ etiam felicitatis ac utilitatis. Sed quæritur, utrum perfecta Caritas semper excludat relationem quamcumque ad nos ipsos? Apostolus quippe ad Philipp. 1. utrumque desiderium conjungit, inquiens: *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo:* et ipse Christus ait Jo. 15. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo*. Duo sunt ergo hic excessus vitandi. 1. Eorum qui in Deum amando ita de se cogitant, ut Deus non teneat nisi posteriorem locum. Qui ita Deum amaret, Dei loco seipsum poneret, ut falsi faciunt amici; quare hæc esse vera Caritas nequit. 2. Eorum qui a Caritate omnem suæ felicitatis respectum excludunt, ut nihil velint aliud quàm Deum ob summam perfectionem diligere, et parati etiam sint gaudio renuntiare, quo ex eo amore afficiuntur, ut puritatem sui affectus ostendant. Et hic est *spiritualis Quietismus*, et speculativa illusio supra explosa (N. CLII.). Revera felicitatis amor nobis insitus est ab ipso Deo, ut ei displicere non possit: imo hanc nobis felicitatem pollicetur, si in ipso speremus, eumque diligamus. Sed et qua via ab amore felicitatis nos distrahere possemus, cui renuntiare nobis est impossibile? Quare hæc Caritas et futura expectata felicitas semper in corde hominis uniuntur. Cum tamen sit impossibile, nostrorum actuum motiva perfectè determinare, et quantum influant in actus noscere; hinc circa essentiam Caritatis controversiæ erunt interminabiles. At quid juvat scire, an actus amoris Dei elici queat absque ullo ad nostram utilitatem respectu? Nosse sufficiat, Deum dignatum esse nos certos reddere, cum ad ipsum aman-

dum allicit, idque nobis jubet, quod in ipso felicitatem erimus habituri: ut Jo. 14. 21. *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me: Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum*. Hoc nobis scire sufficiat.

CLVIII. Quæsivere nonnulli, an operationes omnes, quæ motivo carent amoris Dei, vitiosæ sint? Cui jam supra responsum est Jansenistas refutando (N. XXXIX. et seqq.). Revera Tridentinum docet Sess. 6. Cap. 6. in iis qui nondum justificati sunt, motus fidei, spei, timoris Domini etc. non tantum laudabiles sed et utiles esse; ut ii qui ad justificationem disponunt Quod si actus isti sine caritate boni sunt, multo magis gratiarum actiones pro beneficiis a Deo acceptis. Quid S. Augustinus docuerit, ibidem vidimus; ut etiam in infidelibus plures morales actiones, ut amor parentum, commiseratio, beneficia, quæ laude dignæ censentur, uti vitiosas, et peccata habere, nefas sit. A naturalibus enim facultatibus a Deo inditis oriuntur, ut propterea temporali remuneratione a Deo affici possint, etiamsi nullum supernaturale præmium mereantur; ut alibi dictum est. Sed quæritur 2. An motiva naturalia in fidelibus supernaturalia excludant? Et respondetur, id minimè fieri; etiamsi varia motiva contemplari eodem tempore nequeamus; nam mens ab uno ad aliud transire poterit, et unum per aliud corrigere et purificare. Bona igitur erit actio, si motivum fuerit laude dignum; at nunquam erit meritoria, nisi a motivo caritatis divinitus inspirato procedat. Præstat igitur anticipatis actibus amoris Dei operationes rectè ordinare, quo habitus acquiratur referendi actiones in Deum, ut meritoriæ fiant. 3. An detur præceptum Amoris Dei super omnia? Nonnulli putarunt, illud in mandatorum

observantia consistere, in qua implicite includeretur. At non dubitandum, dari præceptum explicitum Deum diligendi mente et corde, ut in Veteri ac Nova lege sancitum est. Nam præceptum editum Deuter. VI. firmatum est Matth. XXII. 23. ita expressum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua... Secundum simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Igitur mandatorum custodia hujus amoris testimonium est. Hinc ea de re damnatæ propositiones habentur, ut ab Innoc. XI. « Non tenemur proximum diligere actu interno et formali » Aliæ propp. proscriptæ sunt quoque ab Alexandro VIII. ut « Præceptum affirmativum Amoris Dei et proximi non est speciale, sed generale, cui per aliorum preceptorum adimpletionem satisfit » Hæc autem Caritas actualis, qua Deum propter se super omnia diligimus, et proximum propter Deum, dividitur præterea in Amorem *affectivum* et *effectivum*: Prior est in corde et voluntate, nec in externos actus erumpit: Effectivus autem est idem interior animi affectus. qui ad exteriores etiam actus progreditur. Primus esse potest sine secundo, at secundus sine primo esse nequit. Uterque subdividitur in amorem *appretiativum* et *intensivum*: ille est cum Deum omnibus creaturis præferimus: intensivus autem, quo Deum majore et ardentiori conatu super omnia diligimus. Demum de interno Dei amore et affectivo præ oculis habenda est Joannis Apost. sententia Ep. 1. *Qui non diligit, manet in morte*: tum illa Apostoli 1. ad Corint. XVI. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum sit anathema: Maran atha*, (*Dominus noster veniet*).

DE MYSTERIIS GRATIÆ DIVINÆ

SECTIO V.

DE LEGIS EVANGELICÆ SACRAMENTIS.

CLIX. Postquam sanctificantem Gratiam contemplati sumus, Virtutesque Theologicas declaravimus, ea nempe dona pretiosa et maxima, quibus, ut S. Petrus monet, *divinæ efficimur consortes naturæ,* congruum est ut Media seu Instrumenta divinitus instituta agnoscamus, quibus hæc munera eximia, hanc justitiam et sanctitatem vel consequimur, vel adaugemus, et quibus filii Dei adoptivi verè nominamur et sumus. Ad hæc igitur per Novæ Legis Sacramenta pertingimus, quorum numerum et effectus fidelium omnium ac virorum potissimum Ecclesiasticorum magni interest novisse ac perspectos habere, qui horum Mysteriorum dispensatores sunt constituti. Verum cum hoc argumentum præstantissimum a doctis Viris pro sua dignitate ac amplitudine copiosè pertractatum sit; hîc de eo, prout ferunt nostrarum paginarum angustiæ, potiora tantum attingere datum erit, et præcipue quæ ad partem dogmaticam pertinent; maximè cum tam in his quàm in reliquis per

aliorum Auctorum præclara Opera facile suppleri possit. Quid autem hic Sacramenti nomine intelligamus, tradit Catechismus Romanus Par. 2. c. 1. cum habet: *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibile signum ad nostram sanctificationem institutum*. Quod autem nos *Sacramentum*, græci *Mysterium* dicunt, quo vocabulo quæcumque res sacra intelligitur et ad Deum pertinens. Hinc Augustinus: *Signa cum ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur*. In sacris Literis pro re arcana et recondita frequenter accipitur, uti sunt altissima Religionis nostræ mysteria: ita de Incarnatione Dominica Ephes. I. 9. in Vulgata nostra habetur: *Ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suæ*. Hæc tamen vox apud romanos veteres duplicem significationem præseferebat, vel pro jurejurando præsertim a militibus præstito, vel pro pecuniæ summa quæ a litigantibus deponebatur, quæque ei peribat, qui causa cadebat, ac sacris ritibus impendebatur. Hic sensus non est a nostris Sacramentis alienus; nam qui iis initiantur, vinculum fidelitatis et obligationem contrahunt cum ipso Deo.

CLX. Catholici unanimi ore consentiunt, tria ad rationem Sacramenti Novæ Legis requiri. 1. Ut sit signum sensibile. 2. Ut sit a Deo et quidem permanenter institutum. 3. Ut sit instrumentum ad significandam et producendam in homine sanctitatem. Rectè igitur definitur: *Signum sensibile a Christo D. institutum ad Gratiam interiorem significandam et conferendam*. At in veteri lege Sacramenta Gratiam significabant per Christi Passionem dandam. Hæretici protestantes eam tradunt definitionem quæ suis erroribus faveat,

qui nullam in Sacramentis conferendæ gratiæ vim agnoscunt, ac mera signa et notas Religionis externas habent. Patres quidem signacula ea appellant, non tamen in sensu novatorum; Sed quia fideles obsignant et ab infidelibus secernunt, eosque sanctificant ac Deo quasi per signacula consecrant. In Statu Innocentiæ Sacramenta extitisse sine fundamento ullo asseritur, nisi forte sensu latissimo. Verum in Statu naturæ lapsæ ante Mosaicam legem, cum remedium extiterit aliquod adversus originale peccatum, et illud fuerit positum in fide in Christum venturum per aliquod externum signum probabilius manifestata, Remedium illud Sacramentum fuisse dicendum est. Nam post Adæ casum erat certè in Deo sincera et constans voluntas salvandi omnes; ut hinc oportuerit remedium institui pro parvulis, qui per contritionem sanctificari non poterant, ut habet Augustinus L. 5. c. Julian. c. 2. quamvis, ait, *quid illud esset aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit.* Et l. de Nupt. et C. c. 2. ait: *Per fidem justificati sunt parvuli et magni ante circumcisionem*: per fidem nèmpe in Mediatorem, ut patet ex S. Petro Actor. 4. 12 *Neque enim est aliud Nomen sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Parvuli ergo per fidem Parentum salvi fiebant, quæ signo externo aliquo manifestaretur; quæ fides ut necessaria conditio requireretur ut hinc infantium salus a parentibus aliquo sensu penderet. At sub Lege Mosaica sua fuisse sacramenta inficiari nemo posset, cum Tridentinum inter Legis utriusque Sacramenta discrimen statuat Sess. VII. can. 2. *Si quis dixerit, Novæ Legis Sacramenta a Sacramentis Antiquæ legis non differre, nisi quia cæ-*

remoniæ sunt aliæ et alii ritus, anathema sit. Talia fuere Agnus Paschalis, Sacerdotum consecratio, Expiationes &c. quæ sanctitatem legalem conferebant et Gratiam per Christum dandam significabant. Circumcisionem verò fuisse sacramentum, quæ gratiam per Christum dandam significaret, et speciali modo populum consecraret, Catholici consentiunt: At nullo argumento statui potest, in labis originalis remedium fuisse institutam; cum remedium illud commune esse deberet sive masculis sive feminis. Accedit, per annos quadraginta quò hebræi in deserto commorati sunt circumcisionem non adhibuisse; quæ a Moyse certè omissa non fuisset, si ad hunc effectum esset instituta. Hæc autem Sacramenta in Christi morte finem habuisse, ac mortua facta esse: et post sufficientem Evangelii promulgationem devenisse etiam mortifera, ut iis amplius uti non liceret, nulla inter catholicos controversia est.

CLXI. In Nova Lege autem Septem esse Sacramenta definitum est in Tridentino Sess. VII. can. 1. adversus Lutheranos qui tria tantum Sacramenta agnoscebant Baptismum, Eucharistiam et Pœnitentiam, postea verò duo tantùm priora; et adversus Calvinum duo tantùm admittentem, Baptismum et Pœnitentiam, quibus manuum impositionem dein adjunxit. At pro septenario numero Sacramentorum adnotare sufficiat, quo tempore Lutherus et Calvinus turbis ac dissidiis implevere orbem, dogma fuisse ubique terrarum pervulgatum septem existere Legis Evangelicæ Sacramenta. Hanc fuisse Occidentis Ecclesiæ fidem pseudoreformati fatentur, qui exinde schismatis excitandi causam prætexuere, ajentes, catholicos, antiqua fide neglecta, inutiles cæ-

remonias in numerum Sacramentorum in vexisse. Se idem dogma apud græcos et orientales obtinuisse constat. 1. Ex censura, qua Jeremias Patriarcha Cpolitanus, universa consentiente orientalium Ecclesia anno MDLXXV. Augustanam reprobavit confessionem, declaravitque « Sicut septem sunt Dona Spiritus Sancti, ita septem esse Sacramenta » qualia in Ecclesia Catholica recepta sunt. 2. Idipsum constat ex Concilio anno MDCXXXIX. a tribus Patriarchis et viginti Episcopis Cpoli habito, in quo adversus Cyrillum Lucarium Patriarcham Cpolitanum, quem penè unum Calviniani sibi devinxerant, his verbis Canon editus est « Anathema Cyrillo nova dogmata fabricanti et credenti non esse ex institutione Jesu Ch.... septem Sacramenta Ecclesiæ, Baptismum scilicet, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium » Hinc Patriarchatu Lucarius dejectus est. 3. Idem in pluribus aliis synodis græci declararunt, et confirmarunt sæpius Copti, Jacobitæ, Syri, Maronitæ Armeni etc. quod et ex illorum Ritualibus et Euchologiis eorum schismatibus vetustioribus et in communi usu habitis comprobatur. Celebris autem est S. Augustini Regula l. 4. de Bapt. c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur*. Impudentissimè igitur hæretici perpetuæ Ecclesiæ universæ Traditioni refragati sunt. 4. Hæc Sacramenta partim necessaria, partim maximè utilia esse hominum conditioni et regimini Ecclesiæ unicuique consideranti patet; ita ut ex illorum fine et usu divinum Auctorem præseferant, qui novit remedia no-

stris infirmitatibus opportuna exhibere; nam opus habemus 1. ut regeneremur, 2. ut roboremur, 3. ut cibo verè cœlesti alamur, 4. ut lapsi erigamur et sanemur, 5. ut infirmi reficiamur, 6. ut Sacrorum Ministrorum regimine in sanctam societatem contineamur, 7. ut legitimo connubio filii ad cultum Dei et ad generis conservationem procreentur, pieque instituantur. An ne aliquid melius et sanctius ad opus nostrum constitui poterat?

CLXII. Quod ajunt hæretici, Alex. Alensem et S. Bonaventuram Confirmationem inter Sacramenta non recensuisse, et Mag. Sententiarum Extremam Unctionem expunxisse, verum non est; sed docuerunt tantum, ea Sacramenta non fuisse immediatè a Christo instituta, quod falsum tamen censemus. Durandus quidem minus rectè de Matrimonio sensit; quem certè nemo secutus est. Quod objiciunt, lotionem pedum inter Sacramenta recenseri posse, quod habeat externum ritum a Christo institutum et gratiæ promissionem; Dicimus, Mysterium quidem fuisse aliquod, et signum spiritualis virtutis nempe humilitatis; at verum Sacramentum non est habendum; nam cum hac intentione non fuerat a Christo instituta, nec ut permanens esset ritus. Hinc in pluribus Ecclesiis olim non erat in usu, nec in Ritualibus reperitur, et Feria V. in Cœna Domini ut pia tantum cæremonia adhibetur. Quæ autem a Christo tunc dicta sunt aut respiciunt Caritatis officia, aut ad Petrum tantùm diriguntur, a quo obedientia poscebatur. Patres verò nonnulli ut Sacramentum lato sensu accipiunt hanc lotionem, nempe ut mysterium humilitatis Christi cujus merito abluimur, vel ut figuram aut Baptismatis aut

Pœnitentiæ. Cæterum liber *De Ablutione pedum* Cypriani opus non est. Puerile est autem quod ajunt, Baptismum triplicem esse, Pœnitentiam duplicem, duplicem Eucharistiam, multiplicem Extremam Unctionem et Ordinem. Nam quantum ad Baptisma, solum *Fluminis* verum est Sacramentum: *Flaminis* autem et *Sanguinis*, non sunt nisi per analogiam, et ex opere operantis edunt effectum: Pœnitentia sive publica sive privata per accidens tantum distinguuntur: Eucharistia sub specibus Panis et Vini, quæ unicum Christum continent, et ad unicum finem eundemque effectum diriguntur, unicum est Sacramentum: Ita et Extrema Unctio cujus unicus est effectus et finis; atque Ordines sacri, licet specifice differant, ex unitate Finis et effectus, qui ad Eucharistiam conficiendam referuntur, unicum Sacramentum constituunt; quæ unitas ex unitate finis et effectus exoritur. Quantum verò ad distinctionem Sacramentorum, alia de necessitate medii sunt ad salutem, alia de necessitate præcepti: Priora sunt Baptismus saltem in voto, et Pœnitentia in lapsis: posteriora, Confirmatio, Eucharistia, et Extrema Unctio: Alia demum sunt generatim necessaria Ecclesiæ tantum, ut Ordo, et Matrimonium: Sed et alia characterem imprimunt, ut iterari non possint, et sunt Baptismus, Confirmatio, et Ordo sacer: reliqua non imprimunt Characterem, ut iterari queant. Sacramenta præterea alia vivorum dicuntur, alia mortuorum: hæc sunt Baptismus et Pœnitentia quæ justificantem gratiam largiuntur, reliqua adaugent.

CLXIII. De Sacramentorum Auctore, omnia Novi Fœderis Sacramenta fuisse a Christo D. instituta saltem

mediatè, nec fuisse ab Ecclesia inducta, est de fide credendum, ut Tridentinum definit Sess. VII. can. 1. Quod enim sint immediate a Christo instituta, licet absolutè de Fide non sit, ad fidem tamen accedit; nec temeritatis notam effugeret, qui ab hac sententia recederet: Nam Apost. ait 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores Mysteriorum Dei*. Itaque Tridentinum Sess. XIV. can. 1. definit, ipsam Extremam Unctionem fuisse a Christo institutam et a beato Jacobo promulgatam, quam nonnulli ab eo Apostolo institutam volebant. Et quidem Patres id sæpe testantur. Itaque Auctor Lib. *De Sacramentis* S. Ambrosio adscripti L. 4. c. 4. ait: *Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus?* Quod si aliquando Ecclesiam aliquid circa ea decrevisse affirmant, id non de ipsis Sacramentis intelligunt, at verò de ritibus et cæremoniis in eorum administratione adhibendis. Revera Gratia et Sanctificatio non nisi a Deo ut a causa efficiente esse potest: Christus verò, ut homo Divinitati conjunctus, Sacramentorum causa fuit instrumentalis et meritoria; sola enim ejus humanitas Gratiam Sacramentis adnexam mereri potuerat.

CLXIV. Superest efficaciam et Effectus attingere Sacramentorum; atque duplicem eorum effectum scimus, Gratiam, et characterem. De Gratia autem statuendum est, Fidei dogma esse, illam *ex opere operato* ab eis conferri: quod est juxta Tridentinum, *gratiam conferre vi operis externi a Christo instituti, modo obex nullus sit*: Operari autem *ex opere operantis*, est eam conferre ex *merito et dispositionibus suscipientis aut Ministri*. Quare hæc Sacramenta non sunt

nuda signa omni efficacia destituta, ut ajunt protestantes licet magnificis verbis interdum ea extollant: Nec eorum formæ verba sunt merè concionatoria ad excitandam fidem, sed verè sunt consecratoria (Vid. Trid. ib. can. 6. et 8). Illa itaque phrasi *ex opere operato* intelligunt PP. nec merita ejus qui Sacramento utitur, nec Ministri merita aliquid conferre ad Gratiam producendam, at solis Christi meritis gratis conferri: nec affirmant, sine ullo bono motu nostro, gratiam in adultis conferri, ut calumniantur hæretici; quin potius definiunt sine dispositionibus Fidei, Spei, Caritatis, contritionis, neminem hanc accipere gratiam. Quod autem ajunt, Tridentinos PP. iis verbis barbarismum adhibuisse, nihili faciendum est; amamus enim melius esse Christiani quàm ciceroniani. Sed ea phrasis cum jamdudum in scholis recepta esset, dum ea usi sunt, loquendi compendium facere censuere. Revera vi institutionis Sacramenta eam gratiam conferre, Scripturæ testantur, ut cum Apost. ait Ephes. V. *Ut Ecclesiam sanctificaret mundans aquæ Lavacro in Verbo vitæ*. Et ad Titum: *Secundum suam misericordiam salvos nos fecit per Lavacrum regenerationis.* Actor 3. *Imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum sanctum*. Joan. autem XX. *Quorum remiseritis peccata, remittentur eis*. Sed an *moraliter* vel *physicè* gratiam conferant Ecclesia non definivit. Causa physica est, quæ instar agentium naturalium effectus edit, ut sol lumen: Moralis, quæ alium determinat ad producendum effectum; et hoc modo Sacramenta operari, ut iis positis Deus ex sua promissione gratiam largiatur, communior contra Thomistas sententia est. Alter effectus est Cha-

racter indelebilis, quem tria Sacramenta Baptismus, Confirmatio, et Ordo sacer producunt; qui inter gratias recensetur gratis datas, ut non pendeat a dispositionibus suscipientis, et etiam sine gratia sanctificante conferatur. Clamat Calvinus hoc dogma noviter esse ab Innocentio III. excogitatum. At delirat hæreticus iste; rem enim declarat Apost. 2. Cor. 1. *Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos*. Et Ephes. I. *Signati estis Spiritu promissionis sancto*. Jure itaque Tridentinus Sess. VII. can. 9. antiquam Traditionem confirmat edicens: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis... non imprimi Characterem in Anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit*. Denique ex S. Thoma Sacramenta præter sanctificantem Gratiam alia quædam conferunt gratiæ auxilia quæ gratia vocatur Sacramentalis. Hæc de Sacramentis in genere dicta sufficiant.

CAPUT I.

DE SACRAMENTO BAPTISMATIS.

CLXV. De Baptismo omnium Sacramentorum janua et principe plura et splendida veteres Patres locuti sunt, ut S. Cyrillus Hierosol. Catechesi I. inter alias laudes illud vocat *Captivitatis liberationem, remissionem peccatorum, Animæ regenerationem, vestimentum candidum, Signaculum sanctum et indelebile, currum ad cœlum, et adoptionis filiorum charisma.* De hoc itaque Signaculo Filiorum Dei videndum est. quid illud sit, deinde illius necessitas et effectus consid

randi. Ejus etymologia satis perspecta est: a verbo enim græco *βαπτίζω*, seu *βάπτω*, *mergo*; *tingo*, *demergo* deducitur, unde *βάπτισμα* sive *βαπτισμὸς*, *immersio* exoritur, sive *Lavacrum*. Hujus autem ablutionis ritus antiquus est, ut Judæi gentiles qui ad veri Dei cultum accedebant, aqua abluere soliti essent, quasi veteris vitæ sordibus depositis sanctiorem vitæ rationem amplecterentur. Eundem ritum S. Joannes Baptista servavit, ut ad novam vitæ rationem Judæos adduceret. At Christus Dominus, dum Baptismum in Novi Fœderis Sacramentum consecravit, ritum hunc ex humano divinum prorsus effecit Definitur autem Baptismus: *Sacramentum Novæ Legis a Christo Domino institutum ad spiritualem hominum regenerationem, quæ fit per ablutionem ex aqua cum expressa invocatione SS. Trinitatis:* Per hæc postrema verba Materia et Forma indicantur, seu partes hujus Sacramenti essentiales. Esse autem Baptismum Novæ Legis verum Sacramentum, hæretici etiam omnes cum Catholicis consentiunt. Et quidem est Signum sensibile ac permanens a Christo institutum, quod pollet gratiæ producendæ virtute; quæ Sacramentorum omnium propria sunt. Præceptum est enim Matth. XXVIII. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* &c. Et Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex Aqua et Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei.*

CLXVI. Quantum ad Baptismi necessitatem, tum necessitate medii, tum necessitate præcepti jussum esse constat. De hac duplici necessitate actum est supra N. CXLII. Hanc necessitatem impugnarunt olim Manichæi,

quod aquam a principio malo stultè esse dicerent: tum pelagiani qui noxam originalem negabant, volebantque Baptismum ad ingressum in Regnum Cælorum necessarium, non verò ad vitam æternam ab eo distinctam. Valdenses et Wiclefitæ eandem rejiciebant necessitatem. Calvinistæ autem eum non necessitate medii, sed præcepti ponunt, qui per solam fidem gratiam sanctificantem obtineri ajunt: infantes verò a fidelibus genitos eo ipso sanctos esse et salutem consequi, etiamsi baptismo destituti decedant: Sociniani demum quamcumque necessitatem explodunt, quibus Baptismus merum videtur signum, quo distinguantur fideles. Quare statuendum I. est, Baptismum extra casum Martyrii omnibus necessitate medii vel in re, vel saltem in voto, ad salutem necessarium esse. Quæ prop. de fide est in expressis Christi verbis fundata Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritus Sancto non potest introire in Regnum Dei.* Hæc generalis sententia omnes includit. Hinc S. Ambr. l. 2. de Abrah. c. 2. *Nullum excipit, non infantem, non aliqua necessitate præventum.* Et S. Cyrillus Hierosol. Catech. 3. *Si non baptizatur, salutem non habet, solis Martyribus exceptis.* Sed hæc est perpetua Ecclesiæ Traditio; quare Concilia contra pelagianos infantes esse baptizandos statuerunt ne in æternum pereant, et hæretici qui id negarunt semper proscripti sunt; ut jure Tridentinum ibid. can. 5. *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit.* Martyrium verò excipitur, quia vices Baptismi supplet. Statuitur II. Baptismum adultis necessarium esse et medii et præcepti necessitate. Nam Matth. 28. Christus

Apostolis præcepit, ut baptizarent omnes: *Docete omnes gentes, baptizantes eos*. Et Marci 16. *Qui crederit et baptizatus fuerit, salvus erit*. Tum Jo. 3. *Oportet vos nasci denuo*. Ita Act. 2. et alibi passim. Sed omnibus incumbit media ad salutem necessaria adhibere. Ipsa B. V. Maria non erat a lege Baptismi exclusa, non ob delendam originis labem, sed ut Christi Ecclesiæ inscriberetur.

CLXVII. Vult Calvinus, filios fidelium non indigere ut baptizentur, ex illo Apostoli 1. Cor. 7. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Sed cæcutit Calvinus; non enim sequitur ideo hos filios non esse baptizandos; alioquin nec infideles conjuges inde sequeretur baptismo opus habere, qui per conjuges fideles sanctificati essent. *Sanctus* ergo et *sanctificatus* hic ab Apostolo in sensu lato adhibentur pro legitimo; atque innuere vult, per Baptismum conjugium non solvi, sed legitimum sanctumque servari si in id conseuserint conjuges; atque hinc filios non immundos seu spurios, at sanctos sive legitimos nasci. Aliam adducit Apostolus causam, ne conjuges separentur, spem nempe adducendi infidelem et filios ad salutem, inquiens v. 16. *Unde enim scis, mulier, si virum salvum facias?* &c. Ex quo autem ad Rom. 2. 16. habeat: *Si delibatio sancta, et massa: et si radix sancta, et rami*: Non sequitur, Baptismo non opus esse fidelium filiis. Vult enim, quod si Patriarchæ veteres, ex quibus populus judæorum, sancti fuere, ipsa quoque arbor seu progenies sancta erit aut esse poterit; quo probat, judæos posse ad

fidem converti. Sed in Veteri lege, ajunt, per solam parentum fidem pueri salvi erant; si ergo Baptismus modo iis esset necessarius, difficilius nunc salvarentur. Quod non sequitur; nam difficilius quidem esset in quibusdam casibus valde raris, non ut plurimum et absolutè. Baptismus enim a quocumque conferri potest: materia illius est omnium communissima. Nec in parentibus adeo facilis est fides; quæ licet aliquando facilior, per uberiores Baptismi gratias rependitur. Sed de re hac videnda sunt quæ dicuntur *De Rebus Divinis* N. CCXLVIII. et seqq. et supra N. LXXXVI. et CXLIV. Ineptè verò ajunt Sociniani, vocabulum baptizandi metaphoricè fuisse usurpatum pro initiari in Doctrina; adduntque non omnes fuisse baptizatos, non Apostolos, non discipulos, ut appareat, Baptismum præceptum non fuisse: quæ prorsus puerilia sunt; nam *docere* et *baptizare* in Matthæi textu actus duos distinctos significant. An Apostoli forsan id non intellexere? An non intellexere Patres per quindecim sæcula, ut hæc intelligentia tandem Sociuo reservata sit? Paulus certè ajebat, se missum non ad baptizandum sed ad prædicandum, ut hæc duo apertè distinguat. Sed unde concludunt, Apostolos baptizatos non fuisse? An ex Scripturarum silentio? Ignorant, hæc argumenta negativa nullius esse momenti? Pudeat eos hæc proferre, qui nihil, nisi apertum distinctumque, admittere volunt. Cæterum perpetua de Baptismi necessitate traditio et praxis argumentum est ineluctabile. Sed Baptismus non modo est ad salutem necessarius, qui præterea requiritur ut alia Sacramenta licitè ac validè suscipiantur, ut sit omnium fundamentum Sacramentorum.

CLXVIII. Statuendum III. est, Baptismum, quantum ad remissionem peccatorum et vitæ æternæ consecutionem per Martyrium suppleri et per Caritatem perfectam et contritionem, quæ Sacramenti votum semper includit. Nam habet Christus Matth. X. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam:* Quæ generalis sententia est, et parvulos quoque complectitur. Id PP. et Concilia semper docuere, qui pro Martyrio mortis perpessionem intelligunt pro fide tuenda, pro servanda castitate, aut alia Christiana virtute. Vid. Triden. Sess. 6. et 7. Sanè ubi caritas perfecta est, ibi est remissio peccatorum. Non dicatur ergo, ea verba « *Nisi quis renatus fuerit* &c. regulam esse absque exceptione; nam Christus qui regulam fixit, ipse exceptionem quoque dedit. Itaque Aquæ Baptismus est de necessitate medii externa et a Dei voluntate pendente, non de interna necessitate. At quomodo infantibus potest prodesse Martyrium, cum sit virtutis actus, cujus capaces non sunt? Nempe eis prodest ex Dei voluntate, sicut Baptismus aquæ prodest sine ullo virtutis actu, licet adultis sine his actibus non prodesset. Cæterum Baptismus sanguinis ipsam exprimit Christi mortem; ut nil mirum si hac gaudeat prærogativa, et peculiarem aureolam etiam mereatur.

CLXIX. Sed circa subjectum Baptismi, statuendum est IV. Infantes posse validè baptizari. Id enim ad fidem pertinet adversus Valdenses, et præcipue adv. Anabaptistas quorum auctor Mich. Servetus, qui contra Lutherum et Calvinum eorum magistros contendunt, infantes validè baptizari non posse, quod Fidei capaces non sint. Hinc dicti Anabaptistæ seu rebaptizantes, eo

quod pueros jam tinctos iterum baptizent. Apud græcos hoc dogma *Pædobaptismus*, seu baptismus puerorum dicitur, illudque constanti totius Ecclesiæ Traditione firmatur. Et quidem græci id perpetuò tradidere. Irenæus L. 2. c. 39. ait: *Christus venit omnes per seipsum salvare, omnes, inquam, qui per eum renascuntur, infantes, et pueros, et parvulos*. Origenes Hom. 14. in Luc. *Parvuli baptizantur in remissionem peccatorum*. Et Chrysost. Hom. ad Neophytos: *Etiam infantulos baptizamus, ut non sint coinquinati peccato.* Atque ita cæteri. Eis concinunt Latini omnes: Cyprianus Epist. 59. *Si a Baptismo et gratia nemo prohiberi debet, quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus est*. S. Hieron. l. 3. contra Pelag. *Etiam infantes in remissionem peccatorum baptizandos esse censemus*. Et August. l. X. de Gen. ad lit. c. 23. *Consuetudo Matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis ... Apostolica Traditio est*. Atque ita frequenter; ut merito Tridentinum Sess. VII. can. 13. anabaptistas condemnet. Revera, cum velit Deus omnes omnino homines salvos fieri, parvuli etiam baptismi capaces habendi sunt, sine quo salus non obtinetur. Imo satius est, parvulos nondum rationis usum adeptos baptizare: id enim melius censendum est, quod semper consuevit Ecclesia; non tantùm quòd pueri hinc pericula inopinatæ mortis devitent, sed quod etiam gratia adjuventur ne peccent, et ad pietatem nutriantur. Hinc stultè ajunt, iniquum videri, ut pueris jugum Baptismi imponatur; non enim iniquum est; jugum imponere, quod cum adolaverint divino jure

subire tenentur; imo plura inde consequuntur bona; ut reprobanda sit Erasmi opinio, qui volebat, eos postea esse interrogandos, an haberent ratum, quod patrini fecissent, quam propterea damnat Trid. Sess. VII. c. 14. Anabaptistæ instabant, dici Matth. 28. *Docete ... baptizantes eos:* Marci 16. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Actor. 2. *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum:* ut documenta et hi actus Baptismo præcedere debeant, quorum capaces non sunt infantes. Verum argumentum hoc Lutheranos quidem urget, qui ad justificationem exquirunt actualem fidem; quod facile a nobis solvitur, respondendo, esse præceptum illud de adultis intelligendum. Nam fides iis qui credere possunt necessaria est. Infantes itaque dum tinguntur, sponsorum fide et Ecclesiæ ipsius credunt; qui cum voluntate aliena peccaverint, æquum est, ut aliena fide justificari possint. Cur ita? Quia ita semper intellexit Ecclesia, ac ita placuit Deo, qui eis applicat Christi merita et Ecclesiæ fidem. Sed Apostolos ipsos baptizasse infantes plura suadent; id enim semper frequentavit Ecclesia, et sacra narrat Historia, integras familias, ut illam Centurionis, fuisse ab Apostolis baptizatas; aut id certè fieri posse docuerunt, dicente Christo: *sinite parvulos venire ad me, talium est enim Regnum Cœlorum.*

CLXX. Quantum ad hujus Sacramenti Materiam et Formam: Aquam naturalem Materiam esse remotam, eamque necessariam, de Fide est; proximam verò esse Materiæ remotè applicationem ad subjectum ab ipso Ministro qui Formam pronuntiat faciendam, satis per se constat, sive per immersionem id fiat, sive per infusionem. Modo tamen non, nisi per infusionem

baptizare licet: cum a communi Ecclesiæ consuetudine recedere, nefas sit. Formam verò ad Baptismi valorem requisitam esse expressam SS. Trinitatis invocationem, ipse Christus Apostolos docuit. Eximii autem sunt Baptismi effectus, quos præterire non licet, cujus quatuor præcipui sunt 1. Omnia peccata delet. 2. Pœnas remittit peccatis debitas. 3. Gratiam sanctificantem infundit. 4. Imprimit Characterem. His accedit gratia Sacramentalis, quæ est habitualis gratia jus dans ad recipiendas tempore opportuno gratias actuales ad benè vivendum necessarias. Cum his theologicæ et aliæ virtutes infunduntur, ac Dona Spiritus Sancti, et facultates supra adnotatæ quæ sanctificantis gratiæ comites sunt. Hi tamen effectus sunt æquales in omnibus quantum ad characterem et ad remissionem culpæ et pœnæ: At quantum ad interiorem gratiam Adulti majorem eam vel minorem suscipiunt pro majori vel minori dispositione. Demum quod spectat ad hujus Sacramenti Ministrum, Episcopum et Presbyteros cum debita Episcopo reverentia esse ordinarios Ministros certum est. Diaconus etiam est solemnis ejus Minister, sed extraordinarius et ex delegatione. Casu verò necessitatis quilibet homo viator, hæreticus etiam et infidelis licitè ac validè baptizat, dummodo ea servet, quæ de jure servanda sunt.

CAPUT II.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

CLXXI. Primus qui vetustum Ecclesiæ dogma de Sacramento Confirmationis impugnare ausus sit Lutherus censetur, qui l. De Capt. Babyl. ore impudentissimo Ecclesiam Catholicam irridet, quod illud suscipiat et revereatur. Alii otiosam cæremoniam appellarunt, et præ cæteris insanus Calvinus contra ipsum impetum facit, et blasphemias fundit quas referret non expedit. His furiosi hominis deliriis pseudoreformati patrocinantur odio malesano duci contra doctrinam catholicam universam. Hinc noscere est, quantum nostra intersit, fidem ab impurissimis hæreticorum calumniis vindicare, contra quos Tridentinum Sess. VII. sapienter definivit: Si quis dixerit, *Confirmationem baptizatorum otiosam esse cæremoniam, et non potius verum et proprium Sacramentum: aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quandam ... anathema sit*. Eam diversis nominibus antiquitus appellatam constat, ut *Sacramentum Chrismatis*, *Chrisma salutis*, *signaculum Spiritale*, et præcipuè *Manuum impositionem*, ut apud Patres occurrit. Usus modo obtinuit, ut Confirmatio dicatur, eo quod baptizatos in fide confirmet ac roboret, eaque definitur: *Sacramentum novæ Legis, quo baptizatis Spiritus sancti robur confertur tum ad firmiter credendum, tum ad fidem intrepidè confitendam*. De qua statuendum 1. est, Confirmationem esse verum et proprium Novæ Legis

Sacramentum distinctum a cæteris: Quod Scripturæ ostendunt; nam Actor. VIII. habetur: *Cum audissent Apostoli ... quod accepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem, qui ... oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum... sed baptizati tantùm erant in nomine Jesu: Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum*. Idem ferme habetur de Ephesinis a Paulo confirmatis, ibid. c. XIX. Modo ad verum Sacramentum requiritur ut sit ritus sensibilis: ut vim habeat conferendi gratiam: ut sit a Christo institutus, et constans et perpetuus in Ecclesia sit. Quæ omnia hic occurrunt. Nam ritus est externus et sensibus subjectus: De gratia hac ajebat etiam Apost. 2. Cor. 1. *Qui unxit nos Deus, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*. Nec divina institutio deest, nam Apostoli se appellant *Ministros Christi et dispensatores Mysteriorum Dei*: ut cum hæc faciunt se ipsi obtemperare profitentur. Denique perpetuum esse in Ecclesia ritum Traditio constans ostendit.

CLXXII. Nolunt hæretici Confirmationem esse a Baptismo distinctam, in quo turpissimè hallucinantur ut vidimus. Hinc Cyprianus ea referens quæ Samariæ contigerant Epist. 73. scribit: *Id nunc quoque apud nos geritur; ut qui baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram orationem et manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur et signaculo Dominico consummentur*. Concilium Illiberitanum initio Sæc. IV. habet: *Si quis Diaconus plebem regens ... aliquos baptizaverit, Episcopus*

eos per benedictionem perficere debebit. Sed audiatur Chrysostomus Hom. 18. in c. 8. Act. *Philippus unus ex septem Discipulis erat, ideo et baptizans Spiritum sanctum non dabat; neque enim facultatem habebat: hoc enim Donum solorum Apostolorum erat*. Quod et ex historia Simonis Magi Actor. VIII. elucet, qui baptizatus potestatem conferendi Spiritum sanctum per manuum impositionem a S. Petro emere volebat. Ex differentia itaque Ministri et Actus, et ex novis effectibus, hæc duo Sacramenta distincta sunt. Inde etiam constat, non fuisse antiquitus Confirmationem merum catechismum aut examen adolescentium in infantia baptizatorum. Et quidem habemus ex August. Tr. in Jo. hoc Sacramentum fuisse etiam infantibus administratum, qui certè Fidei professionem emittere incapaces erant. Innocentius I. Augustino coævus Epist. I. ait: *De consignandis verò infantibus, manifestum est non ab alio quàm ab Episcopo fieri licere*. Denique PP. utrumque Sacramentum apertè distinguunt, ut Cyprianus qui *De Bapt.* scribit: *Tunc planè sanctificari et esse filii Dei possunt, si utroque Sacramento nascantur*. Et August. Epist. ad Petil. l. 2. ait: *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut et ipse Baptismus*. Denique Ecclesia præscriptione gaudet circa fidem hujus Sacramenti, qua perfidiam hæreticorum semper revincet.

CLXXIII. Plura contra fidem hanc sibi confingunt hæretici, et 1. Putant confirmationem injuriam Baptismo irrogare, quasi in eo gratia ad fidem profitendam non conferretur. 2. Ajunt: si nova illa indigemus vir-

ute, cur Apost. Ephes. V. aliis modis eam nobis impetrare monet, inquiens: *Implemini Spiritu Sancto ... in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus* &c. 3. Ad id præsto erat Eucharistia, de qua Jo. 6 *Qui manducat me et ipse vivet propter me:* ut Confirmatione opus non esset. Quibus dicimus 1. Si vim aliquam hæc haberent, ea militarent etiam contra Eucharistiam: Ut quid enim opus esset hujus virtute, si in Baptismo vires conferuntur omnes? Quod tamen non dicunt hæretici. 2. Omnia Sacramenta novam virtutem, novumque robur conferre ut cum hostibus pugnemus sive internis sive externis. Sane Christus iturus ad Patrem discipulis pollicitus est, quod accepturi essent virtutem Spiritus sancti: et Jo. XIV. dixerat: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis* &c. An adversarii dicent, sufficientem non fuisse virtutem quam ipse eis dederat, ut alio Paraclito opus esset: An per has promissiones dicent, Baptismi efficaciæ illatam esse injuriam? Apage blasphemias. Quod si quis quæreret, cur per diversa Sacramenta diversas virtutes Deus nobis conferre voluerit, is nimis audacter in Dei consilia tentaret irrepere, quæ adoranda sunt, et ad majus bonum nostrum disposita fuisse credendum. Nec dicant, hanc Spiritus sancti virtutem non interiorem fuisse gratiam, sed externam donorum collationem, nempe Linguarum, Prophetiæ etc. Nam considerent hæretici oportet, duos fuisse effectus, quos per manuum impositionem neophyti accipiebant, nempe Augmentum gratiæ, quo baptizati roborabantur ad confitendam fidem sine metu eorum, qui eidem repugnabant: effectus qui postea in tot mar-

tyribus comparuit, et modo etiam non rarò effulget in tot fidelibus, qui non obstante vitiorum colluvie et incredulorum turba proterva SS. Religionem deridentium profiteri Evangelium non erubescunt. Alter effectus non communis neque perpetuus, sed cum opportunus est et hominum saluti prodest, donum fuit prophetiæ, linguarum et miraculorum; quæ dona communia non esse testatur Apost. 1. Cor. XII. *Nunquid omnes prophetæ, nunquid omnes linguis loquuntur, aut gratiam habent curationum?* Hæc miracula in exordio Ecclesiæ necessaria fuere. Duplici itaque effectu distincto interno et externo, evanescit difficultas.

CLXXIV. Missis hæreticorum tricis, quænam Sacramenti hujus materia sit, videamus. Nam quidam tuentur, solam Manuum impositionem, quam græci χειροϑεσίαν dicunt, perfectam esse materiam Confirmationis, Unctionem verò institutam esse ad effectus significationem, illamque ex præcepto Ecclesiæ necessariam habent. Alii volunt, Chrismatis unctionem solam esse Materiam, manuumque impositionem ab ea unctione distinctam, ritum esse dumtaxat Ecclesiasticum. At communior sententia tum Manus impositionem, tum Unctionem Chrismatis uti materiam adæquatam Confirmationis agnoscit. Cum verò duplex sit Manuum impositio, alii eam requirunt Unctioni præviam, qua Episcopus super confirmandos invocat Spiritum sanctum: Alii eam qua Episcopus confirmandi frontem inungit. Erit itaque adæquata Confirmationis Materia Manuum impositio cum Chrismatis unctione. De impositione Manuum dubitare non licet, quæ in Scripturis et PP. expressa habetur. Sed etiam Unctionem essentialem esse ex Scripturis quoque demonstrari videtur, nam 2. Cor.

1. ait Apost. *Qui confirmat nos in Christo, et qui unxit nos Deus, qui et signavit nos* &c. Et 1. Jo. 2. *Vos unctionem habetis a Sancto*. Ubi PP. non internam unctionem tantum sed et externam ab Apostolis adhibitam agnoscunt; inter plures Tertull. *De Baptismo* c. 7. id fieri consuevisse affirmat: *Egressi de Lavacro perungimur benedicta Unctione ... sic et in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit*. S. Cyprianus Epist. 70. *Ungi necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate habere in se gratiam possit*. Ita passim PP. qui manuum impositionem, et Unctionem Chrismatis Sacramentum vocant, præcipuè Conc. Illiberitanum, S. Augustinus etc. Ita quoque Eugenius IV. in Decreto ad Armenos. Quare Trident. ibid. can. 2. *Si quis dixerit injuriosos esse Spiritui sancto eos, qui Sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit*. Inde tamen non sequitur, pertinere ad fidem, esse hanc Unctionem hujus Sacramenti materiam, uti nec verba quæ illam comitantur esse formam; quod non definit Tridentinum, sed eos tantùm damnat, qui eam Spiritui Sancto injuriosam dicerent. Ita nec Eugenius IV. eam unctionem esse materiam essentialem statuit. Ait hæreticus Dallæus: Patres Manuum impositionem et unctionem per quam datur Spiritus sanctus a Baptismi ritibus non distinxisse. Sed nec nos inficiamur, antiquitus hæc duo Sacramenta simul administrata fuisse. Agebatur enim ut plurimum de Adultorum Baptismate: At PP. utrumque Sacramentum apertè distinguunt. Nec inde sequitur, Confirmationis unctionem esse cum unctione quæ in Baptismo adhibebatur confundendam; alias etiam Eucharistia esset Baptismi

ritibus accensenda, quæ tunc simul cum Baptismo etiam infantibus ministrabatur. Verum si antiquitus ea unctio adhibebatur, cur protestantes cæremonias adeo venerandas rejecerunt? Differt tamen utraque Unctio; prior enim fit a solo Sacerdote in vertice capitis absque manus impositione ac Baptismum immediatè sequitur; at Chrismatis unctio fit a solo Episcopo et per manus impositionem, eaque fit in fronte, nec semper Baptismum sequebatur. Simplex ergo Sacerdos apud Latinos nisi ex speciali Sum. Pontificis privilegio extraordinarius Confirmationis Minister esse potest; aliàs invalidè confirmaret, qui non nisi radicalem et inchoatam potestatem in Ordinatione accepit, ut accipit absolvendi potestatem.

CLXXV. Effectus Confirmationis tres recensentur. 1. Gratiæ sanctificantis augmentum confert. 2. Gratiam hujus Sacramenti propriam, perficientem nempe et corroborantem ad intrepidam Fidei confessionem ac defensionem. 3. Characterem, qui nos signat, et quo fit ut iterari non possit. Quod si Augustinus loquitur de Manus impositione quæ repeti possit, et qua redeuntes ab hæresi recipiebantur; non ibi verba fiunt de hac nostra, sed erat reconciliatio quædam, et simplex ritus, qui diversa ratione adhibebatur. Hic autem Character differt a Charactere Baptismatis; quod hic Ecclesiæ Christi addicit ac distinguit ab infidelibus: ille verò Confirmationis provectos ab incipientibus distinguit, fidelesque consecrat uti milites Christi, ne paveant neque erubescant eum prædicare et confiteri. Quod si hoc Sacramentum fictè, aut in peccato susciperetur, illius gratia per pœnitentiam revivisceret, ut reviviscit gratia Baptismi fictè suscepti in pœnitentibus licet culpæ non forent deletæ, quæ subsecutæ Baptismum fuissent.

CAPUT III.

DE EUCHARISTIA UTI SACRAMENTUM EST.

CLXXVI. Inter splendidissima Dona, quibus Christus Dominus electos suos ditavit, nullum profecto præstantius est Eucharistia, quæ nos in admirationem rapit et ad amorem incendit, qua fit ut nos in ipso maneamus et ipse in nobis. Quid hoc Sacramento excellentius, quo et divina gratia fruimur, et ipso Gratiæ auctore potimur? Quid nobis pergratum magis esse queat hoc augustissimo Divinæ largitatis munere, quod et Sacramentum una est et Sacrificium? Sacramentum quo divinæ reddimur consortes naturæ: Sacrificium, quo Dei majestatem colere uti par est, valemus, gratias ei rependere debitas, nobis postulare auxilia, et expiare delicta. At quænam ornata oratio vel angelica lingua altissimi hujus Doni laudes ritè posset percensere? Quod si illud, ut decet, celebrare impares sumus, conabimur saltem ejus veritatem tueri, quod et grati animi officium est, et nostri instituti ratio id præcipuè requirit. Nam si aliquid unquam extitit Religionis dogma, quod recentes novatores furiosius exagitaverint, illud est, dubio procul, quod de almo hoc Mysterio Catholica docet Ecclesia. Quàm iniquè id fecerint, nullaque suffulti ratione, ostendere est opus; ut Ecclesia sancta de omnibus suis hostibus et impiis erroribus triumphum ducat. Ut itaque ordine procedatur, Eucharistia pluribus titulis in Sacris Libris et apud Patres insignita occurrit; quæ Corpus Christi appellatur, vel Sacramentum Cor-

poris et Sanguinis Christi; quod hæc contineat: Dicitur Panis Domini, Panis cælestis et Angelorum; quod conficiatur ex pane: Communio quoque vocatur, Pax, Gratia; ob illos, quos producit, effectus: *Eulogia* dicitur a græcis, seu *Benedictio*, Pascha præterea nuncupatur, Sacrificium, Oblatio, Cœna Domini, sacra *Synaxis* seu *Congregatio* a græcis, ac Sancta Mysteria, et a schismaticis quoque *Anaphora* sive *Oblatio*. A Nicænis PP. Viaticum insuper dicta est, quod viam nobis ad salutem paret: sed præcipue *Eucharistia* vocatur, seu *Bona gratia*, sive *Gratiarum actio*, quod in ejus institutione Christus gratias egerit, nosque per illam dignas Deo referamus gratias, ac beneficia impetremus. Variis typis in Veteri Lege ea figurata est: Per oblationem scilicet a Melchisedech factam: Per Panes propositionis: Per Lignum vitæ quod plantaverat Deus in Paradiso: Per Legis sacrificia: Per Manna, quod Panis cæli vocatum est: Per ritum Agni paschalis, qui hostia simul fuit et cibus, cujus sanguis a vastatione hebræos servavit illæsos, et qui cum pane azymo comedebatur, ut Eucharistiæ Materiam præfiguraret. Definitur itaque: *Sacramentum Novæ Legis verè, realiter, et substantialiter continens Corpus et Sanguinem Christi sub speciebus panis et vini ad Fidelium spiritualem refectionem*. Qua in definitione tres partes sunt: in 1. Eucharistia dicitur Sacramentum: in 2. consistere in præsentia reali Corporis Christi sub speciebus panis et vini asseritur: in 3. Finis et ejus designantur effectus. Duobus verò modis concipitur, 1. *in suo fieri*, ut nempe per verba Sacerdotis conficitur, et *Consecratio* ac *Transubstantiatio* dicitur. 2. *In suo facto esse*,

id est post factam Consecrationem cum est aliquod permanens, in quo ab aliis differt Sacramentis, quæ in transeunte actione consistunt.

CLXXVII. Primum itaque hac de re dogma est «Eucharistiam verum esse Novæ Legis Sacramentum» In hoc hæreticos dissentientes non habemus, Socinianis exceptis, superis et hominibus invisum genus: Novatores reliqui licet in pluribus errent, at Sacramentum esse concedunt. Sociniani itaque volunt, ut Eucharistia fuerit a Christo instituta ad nudam suæ mortis recordationem, sed quæ nullam vim habeat illigatam gratiæ conferendæ. Protestantes contendunt, non habere Sacramenti rationem, nisi cum actu et re ipsa sumitur, ut in solo usu consistat. Sed Chemnitius paulo liberior concedit, adesse Domini Corpus cum benedicitur, frangitur, et distribuitur, ac statim ad ægros defertur; nec desunt, qui ad triduum ob infirmos definiant asservari posse, ac deinceps evanescere consecrationem volunt. Doctrina itaque catholica ita ostenditur 1. Ad veri nominis Sacramentum tria requiruntur: Ritus sensibilis, divina institutio, et Gratiæ promissio; quæ hic concurrunt: Nam Eucharistia est ritus sensibilis, quæ fit per externas panis et vini species: A Christo instituta et præcepta est Lucæ XXII. *Hoc facite in meam commemorationem*. Quod et Apostolus affirmat 1. Cor. XI. Hinc Apostolos Eucharistiam celebrasse habemus in Act's Apost. c. 2. 42. Nec ei deest gratiæ promissio Jo. 6 *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*; pollicebatur Christus ipse: *Et qui manducat me, et ipse vivet propter me*. Et alia hujusmodi. Est igitur Eucharistia verè Sacramentum. 2. Hoc perpetua PP. consen-

sione roboratur, atque ita, ut ipsimet heteredoxi hoc retinere coacti sint, in quo et tota Orientalis Ecclesia constans est. Regerunt quidem Sociniani, quod Christus eum sibi finem proposuerit instituendæ Eucharistiæ, ut esset Fidelibus in sui Memoriam; quod non constituit Sacramentum. At falluntur; nam ibi mentio fit quoque remissionis peccatorum, ut Matth. 26: *Hic est Sanguis meus qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Deinde licet mentio gratiæ hìc facta non esset, snfficeret si in ejus promissione facta fuisset; quod egit Christus, ut dictum est.

CLXXVIII. Alterum Dogma est, quod Eucharistia non in solo usu aut sumptione consistit, sed est aliquod stabile ac permanens. Revera Christus dixerat «*Hoc est Corpus meum*, antequam ab Apostolis sumeretur. Prius ergo erat in Sacramento quàm illud Apostoli ederent, ut aliquid stabile esse, necesse sit. Dein hæc fuit jugis Ecclesiæ fides, quæ ad varios usus Eucharistiam servare consuevit et docuit. Scribit S. Justinus: *Diaconi distribuunt unicuique præsentium, et ad absentes perferunt.* Et S. Cyprianus *De Lapsis* testatur, fideles Eucharistiam secum tulisse, ut ea, dum sæviebat persequentium furor, se se reficerent: sed ut morituris deferretur servari solitam, plura ostendunt monumenta, quæ tanta sunt, ut Calvinus ipse denegare ea ausus non sit, sed tamen velit (L. 4. Instit. c. 14. 29.), tutins esse suam opinionem sequi. Quasi Ecclesia viventibus adhuc Apostolis ad beata usque Calvini tempora a veritate defecerit. Blasphemiam tantam neque ejus discipuli tulere, quos inter Dallæus respondet, ex ea consuetudine non colligi, Ecclesiam in re permanenti Eu-

charistiam reposuisse, quia presbyteri poterant in ægrotorum domibus Eucharistiam conficere; et quia si ad hunc finem servata fuisset, ad manducationem ordinabatur, in quo rationem Sacramenti habebat. At cæcutire volunt adversarii. Nullus Sacerdos aderat cum Serapion Eucharistiam percepit, cui narrat Dion. Alexandrinus (Apud Euseb. H. E. l. 6. c. 44.) missam fuisse Eucharistiam per puerum, qui eam liquore intinctam in os illius infuderit. Quis verò catholicorum negavit unquam Eucharistiam ordinari ad cibum? At inde ne sequitur, quod ante comestionem Sacramentum non sit? An cum privati Eucharistiam secum ferebant, eam conficiebant in domibus? An non his absurdis Patres frequenter occurrunt? Nam Cyprianus vocat *Sanctum Domini*, quod mulier in arca sua reposuerat: Scribit Hieronymus, S. Exsuperantium Episcopum Tolosanum ad eam fuisse inopiam redactum, ut Christi Corpus in canistro deportare cogeretur: S. Ambrosius narrat de *Laudibus Satyri*, ipsum beneficio Eucharistiæ. quam collo suo appenderat, naufragii periculum evasisse: S. Greg. Nazianzenus (ut a pluribus percensendis supersedeamus) sororem laudat suam Gorgoniam, quod magna fide coram Eucharistia procumbens apud se recondita, a morbo libera facta sit: Quæ omnia thesim nostram apertè ostendunt.

CLXXIX. Quod ergo opponunt, Christum jussisse panem benedici, frangi, manducari, non servari in pyxide, nec ad ægrotos deferri: tum Clementem III. jubere, ne quid in crastinum de Eucharistia servetur; sed ut reliquiæ comburantur, aut pueris tradantur consumendæ; hæc et alia similia Ecclesiæ fidem non tollunt.

Nam si Christus præcepit, ut Eucharistia comederetur, finem id significat Sacramenti, non vero manducationem esse sacramentum ipsum aut ejus partem. Servari autem aut ad ægrotos deferri posse, Apostolica traditio docet. Clementis verò III. Epistola licet supposita censeri possit, nihil inde contra Ecclesiæ doctrinam, ubi præcipitur, ut reliquiæ custodiantur, ne qua in iis putredo inveniatur, et quæ abundarent, sepositis quæ sufficerent pro ægrotis, absumerentur. Quod et alibi fiebat post certum temporis spatium, vel a pueris consumebantur. Quod ajunt, Verba institutionis promissoria esse rei futuræ, vel prolata in ipso manducationis usu ut narrat Marcus c. 14. *Dedit eis, et ait: Sumite, hoc est Corpus meum... Et accepto Calice... biberunt ex eo omnes, et ait illis: Hic est Sanguis meus;* ut inde velint in actu illo Sacramentum consistere; Advertere in hoc debuerant, nimis probare argumentum; scilicet Apostolos bibisse vinum nondum sanctificatum. Deinde quis adversarios docuit, Christum consecrasse cum verba illa protulit, et non potius cum pani ac vino benedixit et gratias egit? Responderi potest itaque, sola benedictione panem consecrasse licet præceperit Ecclesiæ, ut illis Evangelicis verbis posthac cæteri Ministri consecrarent. Sed Evangelistæ in narrando non semper rerum ordinem tenent, qui anticipatione aliquando utuntur, ex quo mutuam sibi afferunt lucem. Servant ordinem Matthæus, Lucas, et Paulus, quod et Patres intellexere: Quare Chrysost. in c. X. ad Cor. ait: *Quid est in Calice! Quod ex latere Christi fluxit*. Et August. in Psal. 33. ait: *Christum in manibus suis Corpus suum portasse* ». Quæri-

tur hîc, in quonam propriè consistat hujus Sacramenti ratio? Atque ea de re, posthabitis plurium opinionibus, communior sententia eam collocat in speciebus simul et in Corpore et Sanguine Christi sub eis latente, ut hoc sacramentum sit totum aggregatum illud ex speciebus Panis et Vini simul et corpore ac Sanguine Christi constans, quod est in Altari. Cui PP. calculum addunt ut Irenæus l. 4. c. 34. dum asserit, *constare Eucharistiam ex re terrena atque Cœlesti*. Et S. Augustinus in Sent. apud Prosperum: *Contendimus Sacrificium Ecclesiæ duobus constare, visibili elementorum specie, et invisibili Domini N. J. C. Carne et Sanguine, Sacramento, et re Sacramenti id est Corpore Christi*. Revera Sacramentum signum sensibile et externum habere debet, quæ species sunt; Spiritualis verò Animæ cibus qui in eo adoratur, est res invisibilis quæ ibi latet. Signum sensibile Sacramentum sæpe appellari consuevit: Res Sacramenti, quæ gratia est spiritualis: Sacramentum simul et res, et est Christi Corpus et Sanguis, quod et gratiam significat Spiritualem. Itaque Consecrationis verba sunt Forma Eucharistiæ *in fieri* non autem in *facto esse*, quando gratiam impertit. Nec refert, quod Sacramenta cætera in actione posita sint; in iis quippe, quæ ex arbitrio pendent Institutoris non rerum similitudo, sed Auctoris voluntas consideranda est.

CAPUT IV.

DE REALI CHRISTI PRÆSENTIA IN EUCHARISTIA.

CLXXX. Maximæ molis hic controversia exurgit adversus Calvinistas et Zuinglianos, quorum antesignani antiquitus nulli inveniuntur; sed prior, qui data opera in hoc Mysterio realem Corporis et Sanguinis Christi præsentiam impugnare ausus sit, fertur Joannes Scotus Sæc. IX. extitisse, Erigena sive Hibernus dictus, cum olim Hibernia Erim diceretur. Ejus liber in Synodo Vercell. an. 1050 damnatus est, qui inter ejus opera non amplius extat. Obierat ipse an. 884. nullo nomine suæ sectæ relicto. Berengario itaque servabatur ut Novatorum esset antesignanus. Is in Galliis Erigenæ hæresim oblivione sepultam Sæculo XI. mediante e tenebris revocavit, cui celebris Lanfrancus strenuè adversatus est. Paucos intra annos undecim in Conciliis Berengarius damnatus est, hæresim nunc ejurans, nunc ad eam revertens, ut incertum sit eruditis, an catholicus obierit an. 1088. In hoc errore ei successit Petrus de Bruis a. 1126. qui Arelate docebat, Christum Eucharistiam quidem instituisse, at nihil tale discipulis faciendum mandasse. Hanc hæresim Tolosanis propinabat a. 1146. Henricus quidam unde Henriciani sive Albigenses orti sunt, quem S. Bernardus scriptis et miraculis fortiter refutavit. Nullum verò præsidium Calvinistæ in Wiclefo, Jo. Hus, aut Hier. de Praga habere queunt, qui ambigui et inconstantes ea in re fuere. At hoc bellum adversus Eucharistiam acrius instauratum est Sæc. XVI.

cujus impietatis auctores fuere Andr. Carlostadius homo ferox, Zuinglius Tigurinus, Bucerus, et Oecolampadius, qui occasione arrepta abominandi schismatis a Luthero invecti, docere cœperunt, Eucharistiam non esse nisi signum et imaginem seu figuram Corporis Christi. Zuinglius narrat Operum P. II. p. 149 « nocte sibi apparuisse nescio quem, ater an albus fuerit, nihil memini. ait, qui moneret, eum locum arripere Exodi XII. *Est enim phase, hoc est transitus Domini* » ubi *est* accipitur, pro significat. Egregium sane argumentum, hominis dormientis delirium! Sed hac in parte a Luthero magistro suo recessere, qui epist. ad Argentinen. scribit «Quod si Carlostadius aut alius quispiam mihi persuadere potuisset, in Sacramento præter panem et vinum esse nihil, ille magno beneficio me sibi devinctum reddidisset... cum probe perspiciebam hac re Papatui me valde incommodare posse... verum ego me captum video... textus Evangelicus nimium apertus est, qui facile converti non potest « Hæc Lutherus ubi fatetur, quò tenderent tantæ suæ curæ. Sed audiatur, quibusnam coloribus Carlostadii indolem depingat Melanchton Epist. ad Myconium » Carlostadius primus excitavit hunc tumultum, homo ferus, sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communi, quem nullum unquam humanitatis officium aut intelligere, aut facere animadvertimus; tantum abest ut in eo significatio aliqua Spiritus Sancti animadversa sit: imo extant manifesta signa impietatis... Controversiam de Cœna D. tantum odio Lutheri, non aliqua pietatis opinione movit: bona pars Germaniæ testari posset... Meo quidem judicio magna est temeritas dogmata facere non

consulta Ecclesia veteri « Hactenus Melanchton Lutheranus et ei coævus, unde videre licet, quanti sint faciendi novelli isti Ecclesiæ correctores; nam cæteri omnes nihil eo meliores erant. At fraudolentius se Calvinus gessit Noviodmi ortus, qui, Zuinglio in bello contra Helvetios catholicos occiso, ei successit An. 1532. Hic ut omnes ad se alliceret ambiguum de Eucharistia dicendi genus adhibuit, modo asserens veram in Eucharistia Corporis Christi substantiam nobis dari: modo Christi verba figuratè esse accipienda affirmans. Quo pacto hæc secum pugnantia cohæreant, ipse viderit. Interim Concilium Trid. ad præcavendam elidendanque quancumque hæreticorum fraudem, flexiloquam ac tortuosam agendi rationem, ita clarè ac dilucidè Sess. XIII, can. 1. definivit: *Si quis negaverit in SS. Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguinem Christi, sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo vel figura, aut virtute, anathema sit.* Revera in figuris sæpius in veteri Lege Eucharistia, ut diximus præsignata fuit; at figuræ cedere Veritati debuerant ut modo visuri sumus.

CLXXXI. Et quidem si verba Christi Domini expendamus cum Eucharistiam confecit, Corpus suum Discipulis tradidisse manifestum erit. Tres Evangelistæ hanc Institutionem narrant, et quidem eodem modo et ordine: Ita Matthæus c. XXVI. Marcus c. XIV. Lucas c. XXII. Quibus accedit S. Paulus 1. Cor. XI. qui a Domino hanc Institutionem accepisse testatur, quique ea addit, quæ veram et realem Corporis Christi præsentiam in hoc Sacramento confirmant. Totus itaque

controversiæ cardo contra Novatores in eo situs est, num scilicet illæ Christi propositiones «Hoc est Corpus meum» Hic est Sanguis meus « in sensu obvio ac literali accipiendæ sint; ut exprimant substantiam panis et vini in Christi Corpus et Sanguinem mutatam esse: an verò in sensu metaphorico et figurato sint intelligendæ, ut sensus sit, panem et vinum figuram et signum duntaxat habenda esse. Cum Catholica Ecclesia est interim contra Zuinglianos statuendum « Quod relata verba Institutionis Eucharistiæ veram, realem et substantialem Corporis Christi præsentiam in hoc Sacramento invictè demonstrant. Nam 1. Christus de eo Corpore loquitur, quod pro nobis tradendum erat, ut Apostolus ait, atque de eo Sanguine qui erat pro salute nostra fundendus; sed hæc de simplici pane ac vino dici nullo modo poterant, neque de signo aliquo; ne ergo dicamus, Christum inepta locutum fuisse, quod absit, literali sensu ea verba accipienda sunt. 2. Apostolus facta institutionis hujus narratione, graviter Corinthios admonet, inquiens: *Quicumque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè reus erit Corporis et Sanguinis Domini:* quæ certè non de malè tractato signo intelligi possunt, sed quod pœnas luet de Christi Corpore indignè accepto, seu violato, ut ait Hieronymus contra Jovin. c. 8. propterea quod ad mensam Domini accesserit *non dijudicans*, ut subdit Apost. seu non discernens *Corpus Domini*. Hinc PP. frequenter sacrilegam communionem redarguunt. Accedit alterum ejusdem Apost. testimonium 1. Cor. X. 16. ubi ait: *Calix benedictionis cui benedicimus, non ne communicatio Sanguinis Christi est? Et Panis quem fran-*

gimus, nonne participatio corporis Christi est? Meritò itaque ajebat ad Hebr. c. XIII. 10. *Habemus Altare de quo edere non habent potestatem, qui Tabernaculo deserviunt:* Audi, Zuingliane, quanto præstantior sit illa victima, qua reficiuntur fideles: Audi, quid sit Panis iste, de quo Apostolus nos participare docet. Nam hebræi sæpissime in typo et figura Christum comederant: Comederant in Agno Paschali, comederant in Manna, comederant in aquis divina virtute e Petra elicitis, quæ eorum castra comitabatur, *Petra autem erat Christus*, ait Apost. Comederant præterea in tot victimis in quibus erat præfiguratus: ac per fidem comederant quotquot in Messiam venturum speraverunt et crediderunt. Quodnam ergo erat Altare illud tantopere ab Apostolo commendatum cujus non sunt participes effecti, qui Tabernaculo deserviebant? Nempe sicuti veritati jam figuræ cesserunt, *Omnia enim in figuris contingebant illis* (ibid. v. 11.) ita et symbolicis victimis ipsa veritas Christus suffectus est. Id ergo de simplici figura dicere Apostolus non potuisset, præcipuè cum Agnus paschalis figura esset vividior Passionis Christi; ut ibi non sit audire figuram, non typi communionem; sed unionem quandam Corporis Sanguinisque præstantissimam, ut eam collaudant Chrysostomus et Hilarius. Cæterum si metonymicè et allegoricè Christus locutus esset; non ne Apostolus rem clarius explicasset, nec ullo modo disertis verbis allegoriam ad obvium ac literalem sensum pertraxisset?

CLXXXII. Alia plura hoc dogma ostendunt; ut circumstantiæ in quibus ea facta sunt, nullo modo patiebantur, ut Christus tropicis locutionibus uteretur: ultimum

vale tunc Apostolis dicebat, et eos, quos orbis magistros instituebat, jam præmonuerat, quod palam esset locuturus, inquiens Jo. XVI. *Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis:* omni ergo remota ambage loquebatur. Nam si homines dum testamenta condunt, ne inter hæredes oriantur dissidia, clarioribus utuntur verbis; quanto magis id Christum fecisse dicemus, qui ad mortem jam iturus prostremum suum testamentum condebat: An non erat perfecta scientia præditus? Non præsciebat ex suis verbis non satis intellectis schismata in Ecclesia oritura? Num suspicabimur noluisse Ecclesiæ suæ unitati prospicere, eamque in errore inextricabili deserere per quindecim Sæcula donec in Helvetia erumperet homo impurus et vecors qui aliter sentire auderet, et Ecclesiam Magistram instruere? At Christus est ipsa Veritas, ut nulla ratione decipere discipulos posset, figuram ipsis loco veritatis præbendo, quam detegere nunquam valerent. Nam verba in naturali sensu intelliguntur, nisi in antecessum aliter animus præparetur, aut facile ex circumstantiis figura detegi queat. Cur igitur divinus legislator aut figuram quam animo gerebat, ut aliàs fecerat, discipulis non declaravit: aut obvia loquendi ratione ut ab iis intelligeretur usus non est? *Forte*, ut habet Hilarius l. 8. de Trin. *Qui Verbum est et qui Veritas est, loqui vera nescivit? Aut qui Sapientia est in stultiloquio erravit? Et qui Virtus est, in ea fuit infirmitate, ne posset eloqui, quæ vellet intelligi? Num mentis et linguæ artifex disertè loqui non posset? Imo verò summa Providentia fuco carere voluit quæ divina sunt; ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus*

loqueretur. Sed quod tunc Christus gessit, apertè declarat, maximum hoc et admirandum Mysterium instituere voluisse. Nam Evangelistæ accuratè notarunt, 1. Accepisse panem. 2. gratias egisse Deo Patri. 3. ei benedixisse. 4 porrexisse discipulis asseverando illud suum jam corpus esse. 5 ut hoc ipsum in sui commemorationem perenniter facerent, commendasse. An ne tot actus solemnes ac singulares vacui et vani habendi sunt ut nihil præter nudum signum notent? An non gratias agit Deo Patri uti solebat, cum insigne aliquod miraculum erat operaturus? An illa benedictio nullius efficaciæ fuisset, ac verba pronuntiasset quæ essent a veritate aliena? An demum actionem hanc inanem, et quæ per alios actus melius suppleri poterat, tantopere commendasset? videant Zuingliani quò ruant cum simplici sua figura. Hæc satis superque sunt ut hujus mysterii ostendatur veritas. Sed omnia præterea suadent, hoc Sacramentum Dominum pollicitum fuisse Cap. VI. Evangelii Joannis, ne discipuli de tanto beneficio ambigerent cum ad præclari hujus Mysterii institutionem devenisset; sed animo parati essent, divinum hoc munus ea qua decebat fide et caritate suscipere. Nam cum de cibo disseruisset panum multiplicatione prodigiosè ipsis præstito, deque præstantiori animæ nutrimento per fidem, inde occasionem sumit Eucharisticum cibum promittendi, quem in ultima Cœna præstiturus erat, quod in posteriori illius allocutionis parte effecit, a versu nempe 51. et deinceps, ubi ea habet, quæ nequeunt accipi nisi de reali sui Corporis præsentia in Eucharistia, ut Ecclesia et Patres communi suffragio semper intellexere. Dixerat enim Dominus: *Panis quem ego dabo caro mea est pro*

mundi vita. Atque mussitantibus judæis et ad invicem inquirentibus: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Expressius rem ipsam confirmat inter alia plura inquiens: *Caro enim mea verè est cibus, et Sanguis meus verè est potus...* Rursumque sermonis novitatem mirantibus non paucis ex discipulis iis verbis: *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* Ad ipsorum fidem roborandam et ad omnipotentiæ suæ amplitudinem ostendendam, id ex novo ab eis conspiciendo prodigio confirmat, inquiens: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius?... Ex hoc multi discipulorum abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant*. Num ambiguum aliquod aut figuratum cuiquam in his excogitare fas est? Si figurate locutus esset, non ne discipulis illud exposuisset, ut sæpe præstiterat? Si tropicè loqui voluisset, cur addidit *verè*, inquiens: *Caro mea verè est cibus?*.. Nonne vocem *verè* addendo omnem removet allegoriam? At si figuratè locutus esset, sivisset ne unquam discipulos offendi et a suo comitatu recedere quia literali sensu ea accipiebant? Et si metaphorice locutum esse censuissent discipuli, anne retro abiissent? Sed quod in Ultima Cœna egit Dominus, et quæ postea Apostoli docuerunt pertinaces revincere debent adversarios, hìc Dominum de Eucharistia instituenda verba fecisse. Nam 1. loquitur de eo quod postea facturus erat: *Panis quem ego dabo*: quod de fide dici non poterat, quæ semper habita est. 2. sub symbolis panis et vini carnem ac sanguinem suum dare pollicetur: *Ego sum panis vivus... Caro mea verè est cibus, et Sanguis meus*

verè est potus: At id præstitit in ultima Cœna: *Accipite et comedite : hoc est corpus meum. . . Bibite . . . hic est Sanguis meus* . 3. Ut plura alia Discipulis prænuntiaverat : *Ecce prædixi vobis , ut cum factum fuerit, credatis* : ut Baptismum Joan. 3. Passionem suam Matth. 20. Resurrectionem , Ascensionem , ac Spiritus Sancti Missionem sæpius , ita Sacramentum hoc admirandum . 4 Sensum proprium in quo ea verba accepere Discipuli non negat Christus quinimo confirmat , ut vidimus ; nefas ergo esset , nos hunc sensum negare, quem verum ipse affirmabat , inquiens: *Caro mea verè est cibus* . Itaque Apost. Joannes, ea retulisse videtur , quæ cæteri Evangelistæ omiserant , ut veritatem confirmaret eorum quæ ipsi et Paulus referunt , gessisse Christum in ultima Cœna ; quam institutionem jam abundè relatam ipse non refert , sed neque in sensu metaphorico alicubi esse accipiendam dicit ; qui potius in Apocalypsi c. V. Eucharistiam , quæ in Ecclesia celebratur , repræseutat sub symbolo Agni stantis tanquam occisi in medio throni , cui honores divinos chorus Sacerdotum impendit , ut se habet Christus in Eucharistia . De veritate igitur in ea corporis et Sanguinis Christi non est relictus ambigendi locus .

CLXXXIII. Plura superessent , quæ adornari possent argumenta ex regulis desumpta Scripturas interpretandi , ex Judice legitimo sensus earundem, ex proprietate verborum et perspicuitate , ut nisi vi quadam intellectui illata figurato sensui adjicere fidem possis. Revera Lutherum ipsum id vehementer cupientem ea claritas retardavit : Zuinglius per annos aliquot figuratæ

locutioni nequiverat acquiescere, donec in illud nocturnum spectrum inciderit, quod atrum an album esset ignorabat: Calvinus figurati sensus licet amantissimus: ab eo subinde avocabatur, ut L. 4. Inst. c. 17. sincere scriberet « In sacra sua Cœna jubet me sub symbolis panis et vini corpus et Sanguinem suum sumere: nihil dubito, quin et ipse verè porrigat, et ego recipiam « Adeo veritas ab ipsis suis hostibus erumpit? Sed nonnulla excribere juvat ex Melanchtonis Lutherani Epist. ad Frid. Myconium, qui cum sequeretur Sectariorum disputandi methodum, est ab iis audiendus, ait itaque» Mitto tibi locos veterum Scriptorum de Cœna Domini, qui testantur, illos idem sensisse, quod nos sentimus, videlicet, Corpus et Sanguinem Domini verè esse in Cœna Dominica.... sunt et aliæ causæ, cur veterum testimonia non contemnam. Existimo enim hoc communiter sensisse Ecclesiam, quod isti scripserunt. Neque verò tutum est a communi sententia veteris Ecclesiæ discedere. « Et in Epilogo ejusdem libelli habet » Clara et aperta sunt testimonia Hilarii et Cyrilli, quæ affirmant, Corpus Christi adesse in Cœna. Neque ego ullam satis firmam rationem invenio, cur ab hac sententia discedamus. Fieri potest, ut alia sententia blandiatur otioso animo . . . Sed quid fiet, cum disputabit conscientia, quam habuerit causam dissentiendi a recepta sententia in Ecclesia? Tunc ista verba: *Hoc est Corpus meum*, fulmina erunt. Quid his opponet mens perterrefacta? Quibus Scripturis, qua voce Dei muniet se, ac sibi persuadebit, necessariam fuisse interpetrandam metaphoram? . . . Ego itaque sequor veteris Ecclesiæ sententiam . . . non enim invenio firmam ratio-

nem, cur nomine corporis in verbis cœnæ oporteat tantum absentis corporis figuram intelligi « Hæc Melanchton cui consociantur Scaliger, Levatherus, Socinus, aliique. Videant ergo Zuingliani quam desperatam causam pertinaciter tueantur.

CAPUT V.

REALIS CHRISTI PRÆSENTIA IN EUCHARISTIA EX OBJECTORUM SOLUTIONE CONFIRMATUR.

CLXXXIV. Zuinglius Eucharistiæ hostis sacrilegus non inficiabatur in quadam ad Pomeranum epistola, se diu ignorasse, Consecrationis verba in eum sensum se potuisse vertere, qui figuram notaret, nempe « hoc significat corpus meum » eamque clavim appellat suæ novæ interpretationis, quam a quodam Hunnio Batavo acceperat. Sed in libro *de Subsidio Eucharistiæ* lectores certos facit, in Senatu Tigurino biduo contra Missam et Eucharistiam disputasse, nec fidem tamen facere potuisse, verbum *est*, pro significat fore usurpandum scriba quodam sibi resistente: At sequenti nocte sibi dormienti in somnio apparuisse, qui locum ei Scripturæ indicavit Exodi XII. *Est enim, phase, id est transitus Domini:* ubi verbum *est* pro *significat* adhiberi constat. Atque hinc homo infelix sibi conficere posse videbatur, etiam in Verbis Domini hanc præseferre sensum. Sed non advertebat, ea uti sophistarum fallacia, quam Logici *vitiosam Inductionem* vocant. Quis enim ignoret vitiosum esse hoc argutandi genus: Verbum *est* in aliquibus Scripturarum locis pro

significat usurpatur; ergo eodem in sensu accipiendum quoque est in Verbis Domini « Hoc est corpus meum». Quis non perspiciat ineptam fallendi artem? Cum itaque in metaphorico sensu similes propositiones sunt accipiendæ vel ex circumstantiis elucet, vel ex admonitione illorum qui eas figuras aut signa adhibent, aut dicta proferunt, potissimum si de arbitrariis signis agatur in prima sui institutione. Ita cum Judæi a Moyse audivere *Est enim phase, id est transitus*, jam significatum eis fuerat, quonam ritu Agnum Paschalem quotannis comedere deberent in memoriam transitus Domini, seu Angeli qui percussit primogenitos ægyptiorum; atque propterea animum jam ad figuram paratum habebant. Etsi in ea prop. *Agnus est phase*, nihil vetat, verbum *est* in suo naturali sensu accipere, si vox subaudiatur *victima aut Sacrificium*, ut sensus sit « Agnus est sacrificium phase » quod non infrequens est in Scripturis, ut cum dicitur, *Christus factus pro nobis peccatum*, nempe victima seu hostia pro peccato. Hunc literalem sensum declarat textus ipse, ubi ibid. v. 26. Moyses ita populum alloquebatur: *Cum dixerint vobis filii vestri: Quæ est ista religio? Dicetis eis: Victima transitus Domini est*. Atque ita jactatum Zuinglii argumentum abit in auras.

CLXXXV. Sed ajunt: Sæpissime hujusmodi propositiones figuram significant in Scripturis, ut Gen. 41. *Septem boves septem anni sunt*. Dan. 2. *Tu es caput aureum*: Matth. 13. *Qui seminat bonum semen est Filius hominis: ager autem est mundus* &c. Ita Gen. 17. Circumcisio vocatur fœdus, cum tantum sit signum fœderis. Ezech. 37. *Ossa hæc univer-*

sa domus Israel est. Jo. X: *Ego sum ostium*. 1. Cor. X. *Petra autem erat Christus*. Si ergo in his locis *est* valet *significat*, cur non et in verbis Institutionis Eucharistiæ? Quibus respondemus: Hæc exempla et alia quæ afferri possent, nihil conficere ut fulciatur hæreticorum error, sed corruunt mole sua, ut ea quæ *vitiosam inductionem* ut monuimus, inferrent. An inde concludant adversarii verbum *est* semper pro *significat* esse intelligendum? Non putamus. An forsan quoties ipsis placuerit, eo in sensu accipiendum erit? Neque hoc sibi arrogabunt. Adsunt igitur regulæ critices, cum id faciendum sit. Itaque exempla allata aut res sunt, aut signa rerum. Propositiones quibus rem ipsam significare volumus, juxta nativum verborum sensum accipimus: ut ex g. Deus est bonus: Quæ verò signa sunt, et ipsa in sensu proprio acciperentur, nisi antea admoniti essent homines, ut ea signa esse intelligerent, aut nisi ex adjunctis facile id colligere possent; præsertim cum sermo est de signis arbitrariis in suo primo usu. At Apostoli nunquam audiverant, Panem figuram esse Corporis Christi, imo audiverant, panem quem daturus erat, verè fore carnem suam, et potum verè suum sanguinem; non ergo in sensu improprio Domini verba debuerant accipere, præcipue cum de ejus omnipotentia ac divina virtute, quæ in multiplicatione panum resplenduit, certi essent. Ex quo igitur vox illa *est* in ea significatione aliquando adhibeatur, quo jure adversarii conficient, figurato sensu hìc quoque esse accipiendum? An non ex eo falso principio Sociniani contra Calvinistas argutari possent: Hæc prop. *Hic est filius meus dilectus*, est planè huic similis: *Hoc est corpus*

meum; quare si in hac verbum *est* pro significat accipi debeat, cur non et in illa? Quid Calvinistæ ad hæc? laqueos sibi ergo injiciunt, dum catholica dogmata obfuscare nituntur. Sed allata exempla tantisper expendamus. Ad 1. In Josephi responso: *septem boves septem anni sunt* &c. Utique sunt valet, significat; cum Pharao interrogasset, quid septem boves pulchræ et septem spicæ plenæ significarent: atque eadem est responsio ad somnium a Daniele explicatum. Ad 3. itaque: Apostoli Christum rogaverant, ut propositam parabolam eis exponeret: *Edissere nobis parabolam zizaniorum*. Non potuerant ergo circa eam decipi. Ad 4. Circumcisio quidem vocatur fœdus, cum ad illud designandum instituta sit. At figuram hanc detegere quilibet poterat ex illis verbis: *Circumcidatis . . . ut sit signum fœderis inter me et inter vos*. Ad 5. seu ad Ezechielis visionem, ipse testatur, se in spiritu ossa illa vidisse; quare propheta his imaginibus assuetus, jam ossa illa, uti signa spectabat. Ad 6. Cum dixit Dominus Jo. X. *Ego sum ostium*: facile erat Apostolis figuram detegere, cum audirent, id eum pronunciare in abstracto, et cum aliqua similitudine, nec ullum instituere Sacramentum: nempe sicut per ostium quis domum ingreditur, ita per Christi merita patet aditus in Regnum cælorum. Verum enuntiatio longe diversa est ab ea quæ oppugnatur; non enim dixit: « Ego sum hoc ostium » aut « hoc ostium est corpus meum ». Sed id in abstracto pronuntiavit, ut etiam dixit: *Ego sum vitis*. Ad 7. Satis ex contextu potuerant Corinthii colligere, petram illam, ex qua fluebant aquæ et quæ Israëlitas per desertum sequebatur ipsum Christum non fuisse; nam eam *spiritalem* appel-

lat, ut ibi figuram deberent agnoscere; quare ibi concludit v. 11. *Hæc autem omnia in figuris contingebant illis*.

CLXXXVI. Sed cum argutiis pugnent adversarii, audiamus eos iterum: Volunt in verbis Domini pronomen *hoc* ad panem referri; ut simplex panis esset qui tradebatur, alioquin, ajunt, propositio esset identica, seu inepta *tautologia*. Sed tropicè esse verba accipienda innuit Apostolus, cum dicit: *panis quem frangimus*; quod de Christi corpore dici nequit. Qui tamen oppidò errant: Nam pronomen demonstrativum *hoc* genericè substantiam designat absque propriæ naturæ determinatione. Nec dicant, nondum esse corpus dum pronuntiatur pronomen; cum ad enunciationes effectrices satis sit, si in termino orationis verificentur, ut cum dixit Deus: *Fiat lux: fiant luminaria.* Quod si cavillari pergant, dicimus, iis verbis «Hoc est Corpus meum» pronomen referri ad corpus, cum in græcis habeatur: *Τουτο εστι το σωμα μου*; non verò *ουτος hic* masculini generis, uti est *αρτος*, *panis*; quare *τουτο*, *hoc*, ad *σωμα*, *corpus*, non ad *αρτος*, *panis*, est referendum. Quod et de aliis verbis dici debet: *Τουτο γαρ εστι το αἱμα μου*: *Hic enim est Sanguis meus*: ubi *τουτο*, *hoc*, est certè ad *αἱμα*, *sanguinem referendum*, non ad *οινος*, *vinum*, quod in græco est masculini generis, non neutri, ut sanguis. Hinc liquet eam enunciationem minimè esse propositionem identicam, cum non res eadem eodem vocabulo aut synonimo enuncietur, ut si diceres, homo est homo « gladius est ensis » At si pronomen de re aliqua determinata, ac demonstrativè pronuntietur, ut, « hic fluvius est Arnus »

hic est liber « hic est homo » nemo unus qui nolit pædagogi ferula vapulare, appellabit *tautologiam*. Quod ajunt, dici ab Apost. panem frangi, quod de Christi corpore dici nequeat; est inepta argutatio; frangitur enim ratione specierum. Hinc Lucas habet: *Quod pro vobis datur*: Et Apost. 1. Cor XI. *Quod pro vobis tradetur:* quo ostendatur, datum in cibum ipsum corpus jamjam in mortem tradendum. Sed et verba « *Qui pro multis effundetur*, patet ad Sanguinem, non ad vinum esse referenda; ita ergo et alia, *quod pro vobis tradetur;* non ad panem, sed ad Corpus applicanda sunt. Unde apparet, quàm inepta hucusque hæretici seriò protulerint Alias tamen cavillationes texunt, ut cum ajunt: In iis Christi verbis plura esse metaphoricè accepta, ut voces *calix*, *testamentum:* ergo alloeutio symbolicè prolata, accipienda est. Sed et pessimè concludit argutatio hæc. Non enim si in Christi sermone vox aliqua sit allegoricè adhibita sequitur totum sermonem esse figuratè accipiendum. Etsi verò voces *calix* et *testamentum* figuratæ essent, ex communi tamen usu ad naturalem sensum determinantur; cum nihil ea sit metonymia usitatius ut poculum, vel calix pro vino in iis contento dicatur. Item testamentum non solum nominatur ultima hominis voluntas, sed et tabulis hoc nomen tribuitur quibus ea consignatur. Verum si in iis verbis aliqua subesset obscuritas ab Evangelistis sublata est; nam apud Matth. apertè dicitur: *Hic est sanguis meus* &c. Falsum est autem ea Christi verba Matth. 26. 29. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, de vino Eucharistico dicta esse, quasi in sua natura permanserit; at de vino communi dicta sunt, quod in cœna paschali

Apostoli antea biberant, ut ex ipsa Evangelistæ narratione constat. Cum verò Apost. 1. Cor. X. scribit, Patres eaudem escam spiritualem manducasse et eundem potum spiritalem bibisse, quod per fidem fecerint; non sequitur et nos idem facere tantùm per fidem. Falsò nanque supponitur, Apost. eos nobiscum comparasse, qui *Altare habemus de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt*, ut idem ait ad Hebr. sed eos patres comparat inter se, qui etsi eandem cum Josue et Caleb escam spiritualem manducaverint, non tamen ut isti in Terram promissionis ingressi sunt. Sermo erat autem de Manna et Aqua, eaque spiritualia dicuntur, quod Christi gratiam et hoc ipsum Sacramentum præsignarent. Quod præterea ajunt, tempus fuisse Paschatis cum Eucharistia instituta est; quod Pascha plenum figuris erat, ut et in ea Discipuli figuratum quid debuerint intelligere: Hoc, inquam, ridiculum planè est, quasi die paschatis nihil Christus nisi metaphoricè locutus sit, aut loqui debuerit. Imo jam noverant Apostoli, ideo venisse Christum, ut veteri Legi Novam subrogaret, ac ut umbris et figuris ablatis veritas ipsa prodiret. Quare Apostoli inde inferre potius debuerant, Christum sine figuris loqui, ut eis pollicitus fuerat, sicut supra dictum est.

CLXXXVII. Sed nonnulla alia audiamus ineptè non minus quam absurdè excogitata. Et 1. ajunt, Christus discipulos admonuit Matth. 24. *Si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus aut illic, nolite credere*. Ut catholicis non sit credendum cum dicunt, ecce in hoc vel illo Altari est Christus. 2. Ibid. c. 26. ait ipse: *Semper pauperes habetis vobiscum, me autem non*

semper habetis. Quod falsò dixisset, si adesset, in Eucharistia. 3. Marci 16. legitur. *Assumptus est in cælum, et sedet a dextris Dei*. Et Actor. 3. *Oportet cælum illum suscipere usque in diem restitutionis omnium*. Non ergo modo in terris. 4. Lucæ 24. ait Dominus: *Palpate et videte, quia Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*. Quæ in Eucharistia non apparent. 5. Actor. 17 dicitur: *Deus non in manu factis templis habitat*; Quare nec Christus, qui Deus est. 6. Ait ipse Matth. 15. *Omne quod intrat in os in ventrem vadit, et in secessum emittitur*: quod de Christi corpore dici nequit: non ergo comeditur. Ut itaque has ineptias patienti animo resolvamus, dicimus, hæc omnia ad rem nostram non facere. Nam ad 1. Constat Dominum eo loci discipulos adversus seductores præmunire, quiChristum se esse dicturi erant et judæos decepturi, ut circa Hierosolymorum excidium contigit, et in futuro est eventurum. Quid hæc ad Eucharistiam, quam electi, qui juxta illud oraculum seducendi non erant, semper crediderunt? Ad 2. Ibi loquitur Christus de præsentia sua naturali ac visibili, in qua aliquid officii ab hominibus recipere poterat; quæ ad hoc Mysterium nullam habent analogiam. Ad 3. Ascensus Christi in cælum catholico dogmati non adversatur: nam 1. Minimè necesse est, ut ipse cælum deserat et locali motu descendat cum præsens sistitur in Eucharistia; ut cum Paulo apparuit Actor. IX. non certè cælum reliquit. Qua autem ratione fiat, ut in pluribus locis simul esse possit, divinam hæretici interrogent omnipotentiam, et ei, si queunt, limites figant. In his et similibus, ajunt

Patres, tota ratio facti est potentia facientis. 2. diversus est modus, quo Christus in cælo, et quo in Eucharistia existit: Ibi modo sensibili et naturali: hic modo invisibili, a naturali extensionis lege soluto, et sacramentali. Cum autem quis non est præsens suo naturali modo, in Scripturis dici solet non adesse; ut cum post resurrectionem ajebat Christus Lucæ 24. *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos cum adhuc essem vobiscum:* quasi cum ea dicebat, præsens non adesset; at intelligit, non eo modo quo antea, mortali et passibili. Ita cum dicitur esse in cælis; non est intelligendum, quod in terris nullo modo sit, sed quod non sit modo visibili et naturali, ut cum vitam in terris agebat. Meminerint itaque adversarii dum tot inopportuna Scripturarum loca conglomerant, quod si dixit Christus: *Me autem non semper habetis*: dixit quoque Matth. 28. antequam cælum conscenderet « *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Ad 4. Verba illa: *Palpate et videte*: minimè adversariis favent. Nam ex quo aliquid tangitur ac palpatur: rectè infertur, ergo nec spiritus, nec phantasma est; at ex quo non palpatur aliquid inferre non licet, corpus non esse; præcipuè si mirabili ac peculiari modo existat: alioquin sequeretur, verum non fuisse Christi corpus cum ex oculis circumstantium evanuit. Ad 5. Cum ait Apost. Deum non habitare in templis, de divinitate dictum est, quæ nullo spatio comprehenditur, licet in Templis peculiari modo colatur. Quid hæc adversus Christi præsentiam in Eucharistia? Ad ult. Ea verba a Christo de communibus cibis dicta fuerant contra pharisæorum hypocrisim. At Eucharistia

cibus communis non est, qui ad nutritionem animæ, non corporis ordinatur. Quare obnoxia nequit esse aliorum ciborum conditioni; ut quæ adveniat corruptio non ipsi Christi corpori, sed speciebus contingat; nam sicut ejus corpus incipit esse sub speciebus per consecrationem, ita ob illarum corruptionem sub illis esse desiuit, absque ulla sui læsione ac detrimento. Hæc et similia quæ adversarii jactitant, incredibile sanè videtur, a sani sincipitis hominibus proferri unquam potuisse, nisi obsistendi prurigine pessimè agitarentur.

CAPUT VI.

DOGMA CATHOLICUM PRÆSENTIÆ REALIS CHRISTI IN EUCHARISTIA TRADITIONE OSTENDITUR.

CLXXXVIII. Ad SS. Patrum auctoritatem nos provocant adversarii, quos contra principia a se posita sibi favere opinantur. Nostrum est igitur, provocationem minimè declinare, sed reseratis veterum Patrum fontibus talia inde haurire momenta, quibus palam fiat, Zuinglianos non modo Patrum sententiis pessime fuisse abusos, sed etiam falsis interpretamentis depravasse. Etiamsi ergo Novatores argumentum a Traditione petitum parvi pendere videantur, illius vim sensisse non tamen dissimulant, cum illud convellere frustraneo licet conatu pertentent. Neque enim ignorare queunt, rectè Tertullianum L. De Præscript. c. 31. dixisse: *Ex ipso ordine manifestum fieri, illud esse Dominicum et verum, quod sit prius traditum: illud autem extraneum et falsum, quod sit posterius immissum*. Quan-

tum itaque ad Traditionem duplici via Eucharistiæ veritas ostendi potest: Via nempe Præscriptionis, et via examinis Traditionis ejusdem. Prior desumitur ex novitate erroris, ex antiqua publica et constanti veritatis professione, ac ex impossibili mutatione, quam in hujus Mysterii fide inductam fabulantur novatores. Hoc est peremptorium Præscriptionis argumentum, quo Catholici hæreticos omnes debellant. Sed viam discussionis et examinis prius ingrediamur oportet, unde præscriptio robur acquirit invictum. Examen hoc non refugiunt novatores, rati posse veteres in suum figuratum sensum pertrahere. At de primo auctore dogmatis Præsentiæ realis inter se non consentiunt. Vult Blondellus hanc sententiam non nisi post Berengarium in Ecclesia invaluisse. Alii inter quos Albertinus et Basnagius ad septimum usque sæculum ascendunt, contenduntque, Anastasium Synaitam hujus dogmatis fundamenta jecisse: in Occidente verò Paschasium Rathbertum hujus doctrinæ auctorem faciunt, libro conscripto circa an DCCCXXXI. *De Corpore et Sanguine Domini*; eamque faventibus tenebris sæculi X. radices tamen altas egisse volunt, ut Berengarium contra dicentem uti hæreticum sæculo XI. Ecclesia damnaverit. En fabellam a Claudio calvinista consarcinatam, quam postea exsufflabimus: Nunc Patrum sententias expendere opus est.

CLXXXIX. Statuimus ergo, Veram, realem et substantialem Christi præsentiam in Eucharistia ex antiqua constanti ac universali SS. Patrum et Ecclesiæ totius Traditione invictissime ostendi. Horum prior se se offert S. Ignatius Apostoli Joannis discipulus et Episcopus Antiochenus, qui martyr Romæ occubuit an. CVIII. Is in

Epist. ad Smyrnæos ita de hæreticis nonnullis sui temporis loquitur: *Ab Eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confiteantur, Eucharistiam Carnem esse Salvatoris nostri J. C. quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater benignitate sua suscitavit: qui ergo contradicunt huic dono Dei, altercantes moriuntur*. Hæc Ignatii verba tot sunt in Calvinianos fulmina. Ea retulerat olim Theodoretus in Dialogo 3. contra Eutychianos. Tamen Dallæus cum in his cavillari nequeat, ea supposititia esse vult irrito conatu, ut Cotelerius in notis hanc Dallæi temeritatem meritò castigaverit. Sed Ignatius in Epist. ad Philadelph. et ad Romanos non obscurè idem dogma declarat. 2. S. Justinus Martyr in Apologia II. scripta an. CL. Eucharistiam dicit, *non panem communem, nec communem potum, sed Incarnati Jesu carnem et sanguinem; atque ita esse,* (inquit), *edocti sumus.* Additque, Apostolos ut hoc Sacramentum conficerent, a Christo fuisse edoctos, ut ipsi referunt, ait, *in commentariis, quæ Evangelia vocantur.* Hic Justinus coram Imp. M. Aurelio Antonino rationem reddit Christianorum fidei, quibus gentiles calumniam imputabant, quod in secretis conviviis pueri interfecti carnibus vescerentur. Eam calumniam retundere facile fuisset, si Eucharistia merum fuisset creditum Christi signum. At ipse, ritu descripto eam celebrandi, mysterium aperit, nullaque figuræ facta mentione, realem declarat Christi præsentiam, deque disertè affirmat fuisse edoctum. 3. S. Irenæus Lugdun. Episc.(hic S. Polycarpi discipulus, qui cum JoanneEvangelista diu vixerat)opus suum scripsit circa an. CLXXX. et Martyr obiit an. CCI. ubi plura habet, quæ hanc

doctrinam confirmant, ut l. 4. c. 34. cum ait: *Panem in quo gratiæ actæ sunt corpus esse Domini sui, et calicem Sanguinem ejus*. Et l. v. c. 2. scribit: *Calicem creationis confessus est Dominus suum esse proprium Sanguinem, quo nostrum sanguinem rigat; et panem creationis suum corpus proprium esse confirmavit, quo nostra augentur corpora*. Quibus clariora efferri non poterant. 4. Tertullianus tertio sæculo hæc inter cætera habet de eo qui Eucharistiam percipit l. De resurr. Carnis c. vii. *Caro Corpore et Sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur*. Et de Idolol. c. vii. contra idolorum artifices, qui contaminatis manibus ad Eucharistiam accedebant, exclamat: *Proh scelus! Semel judæi Christo manus intulerunt: isti quotidie corpus ejus lacessunt: O manus præcidendæ etc.* At non idem fuisset cum judæis scelus, si idem corpus ab utrisque non fuisset læsum. 5. S. Cyprianus *L. de Lapsis* de indignè communicantibus ait: *Corpus Domini invadunt... vis infertur Corpori ejus et Sanguini, et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cum Dominum negarunt:* Quæ de simplici figura non certè dixisset. 6. Origenes magnus ille Christianarum antiquitatum Magister, plura de hoc Mysterio habet, ut Hom. 13. in Exodum, ubi ait: *Nostis, qui divinis Mysteriis interesse consuevistis, quomodo, cum suscipitis Corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat... reos enim vos creditis, et rectè creditis, si quid inde per negligentiam decidat*. An ne de puro signo aut figura ita locutus esset? 7. Innumera pro Sæculo iv. proferri possent Patrum testimonia, ut

Concilii Nicæni I. Can. XVIII. quo prohibetur Diaconis communionem præbere Sacerdotibus, ubi dicitur: *Neque consuetudo tradidit, ut hi qui offerendi non habent potestatem, iis qui offerunt dent Corpus Christi:* Non ergo figura illius. Sed celebris est Catechesis Mystagogica IV. S. Cyrilli Hierosolym. quæ tota in hoc Mysterio versatur, ubi præter cætera de pane et vino Eucharistico ait: *Sunt Corpus et Sanguis Christi, secundum Domini assertionem: qui videtur panis, panis non est, tametsi gustu sensibilis sit, sed Corpus Christi: quod videtur vinum, vinum non est, tametsi ita gustui videatur, sed Sanguis Christi.* Legatur oratio tota, quæ rem extra omne dubium ponit. Chrysostomus quoque plura decretoria habet, ut Homil. 92. in Matth. *Quoniam dixit Christus: Hoc est corpus meum: credamus. Ecce illum vides, ipsum tangis, ipsum comedis, seipsum tibi dat non videndum modo, sed tangendum, comedendum, intus accipiendum.* An hæc conciliari cum Calvini typo unquam possent? Item l. 3. de Sacerdotio exclamat: *O miraculum! o Dei benignitatem! Qui cum Patre sursum sedet, illa hora omnium manibus tenetur, seseque volentibus dat complectendum, et accipiendum!* At ubi miraculum esset, si Chrysostomus Eucharistiam meram figuram Christi esse putavisset? Prætermittimus plura ex Athanasio, Hilario, Gregoriis Nazianzeno et Nysseno, Hieronymo, Ambrosio, Cyrillo Alex. Epiphanio etc. etc. quorum auctoritates longum nimis esset afferre; quæ tamen apud auctores plures collectæ habentur. Sed agmen claudat S. Augustinus, cujus patrocinio adversarii se gloriari posse arbitrantur. Hic tamen l. adv. Adver-

sarium Legis et Proph. c. 33. inquit: *Christum Jesum carnem suam nobis manducandam, bibendumque Sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus*. Et in Psal 33. *Manibus suis nemo portatur: ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans Corpus suum, ait: Hoc est corpus meum: ferebatur enim illud corpus in manibus suis*. Ita in Psal. 98. Sermone vero 71. de Verbis Dom. ait, *impios ipsam carnem manducare, et bibere ipsum Sanguinem* etc. Quod ab impiis per fidem certe fieri non poterat. Clarius ne Patres loqui debuerant, ut obstruerent os loquentium iniqua?

CXC. Itaque secundo statuendum est: Omni præscriptione gaudere Dogma realis Christi præsentiæ in Eucharistia, ex eaque catholicam doctrinam firmissimè demonstrari. Intelligitur autem præscriptionis nomine in his argumentis publica, constans, et perpetua omnium Ecclesiarum a temporibus Apostolicis in aliqua doctrina consensio, atque ante ortas hæreses: Quæ consensio vel est certissimum veritatis argumentum; vel dicendum foret a Christo in Apostolos, et ab Apostolis in Ecclesiam errores manasse; quod vel suspicari nefarium foret. At de præscriptione hac apertissimè constat. Nam cum Sæculo XVI. primum hæretici hanc impugnare doctrinam cœpere, universa Ecclesia in Oriente ac in Occidente illam profitebatur, eaque omnium temporum omniumque locorum fides fuerat. Ac de Latina Ecclesia nullum moveri dubium potest: quod et ipsi adversarii hæretici dant, et volunt. Verum eadem semper quoque fuit Græcorum et omnium Orientalium Fides, ut monumenta testantur indubia quæ videre est præ cæteris apud Ar-

naldum in Opere *de Perpetuitate fidei* etc. (*La perpetuitè de la Foy catholique sur l'Eucharistie*), quod amplificavit et ab hæreticorum cavillis fortiter vindicavit Renaudotius. Constat etiam, cum an. 1570. calvinistæ, ut græcos in suas partes pertraherent, *Augustanam confessionem* ad eos misissent, hoc a Jeremia Patriarcha CP. habuisse responsum « Ecclesiæ Sanctæ illud judicium est, in Sacra cœna post consecrationem et benedictionem, panem in illud ipsum corpus Jesu Christi, et vinum in illud ipsum Sanguinem virtute Spiritus Sancti transire et mutari » Eamdemque fidem subinde in pluribus Synodis confirmarunt. Præterea, vel ea fides omnium fuit temporum, vel dicendum foret, tantam in Ecclesia mutationem contigisse, ut quæ antea præsentiam hanc realem non credebat, eam postea ubique crediderit. Sed hæc animorum subita mutatio absurda est, incredibilis, et commentitia. Nam quis ignorat, eam esse hominum indolem, ut communes inveteratasque sententias ægrè admodum mutari patiatur; quinimo odia inde exurgant, jurgia, dissidia, præcipue cum de rebus ad Religionem spectantibus agitur? Non ne recentes quoque hæreticorum errorès rejecti semper fuere, et non rarò ferro suppliciisque profligati? Qui ergo fieri potuisset, ut nemine reclamante primum a paucis proponeretur, dein ad plurimos pervaderet, ac denique omnium animos occuparet novella præsentiæ realis fides; præcipue cum nulla sit in contrario errore difficultas credendi, et ex adverso maxima in catholico dogmate? Quis sibi persuadeat, Pontifices summos, Concilia, Episcopos, Pastores universos novellum errorem nefando silentio dissimulasse? At nullus, qui con-

questus sit, nullus extitit qui prò metaphorico sensu pugnaverit: nulli, gliscente novitate, excitati tumultus, nulla dissidia, discordiæ nullæ. Nonne vidimus quot jurgia, quot bella exarserunt, et commissa certamina occasione Calvinistarum, qui Ecclesiæ fidem immutare moliebantur? Cur ergo omnia siluere, dum id contigit quod sibi fingunt hæretici, nisi quia id non contigit unquam. Cur ea Ecclesia quæ ab hæreticis et ab apostatis *intolerantismi* accusatur, tunc tolerantissima ad crimen usque facta esset? Cur de hac in fide inconstantia nihil ab historicis relatum legimus? Sed jam abunde vidimus eandem semper fuisse universæ Ecclesiæ fidem, ita ut non solum nulla contigerit doctrinæ mutatio, sed nec unquam fieri potuerit. Quæ cum ita sint, sequitur catholicum dogma a Domino fuisse ad Apostolos, et ab Apostolis ad nos usque transmissum, ut non nisi vera ac divina hæc doctrina esse queat. Q. E. D.

CXCI. Videbatur, hæreticos his nihil regerere ausuros: at pervicacium more non siluerunt, ut patientes eis aures præbere necesse sit, et præsertim Claudio Calvinistæ quem Cl. Bossuetus strenuè debellavit. Ajunt itaque, Paschasii ætate apud Christianos tantam viguisse ignorantiam, ut mirari non debeamus, novam ejus de præsentia reali doctrinam sensim omnium animos occupasse: idque verisimile volunt, si ea mutatio clanculum et per gradus facta sit (*). Verum ignaris im-

(*) Videbatur, post tot illustrium auctorum inquisitiones criticas, hanc fabellam hæreticos non esse recantaturos. Sed pergunt jugiter eandem propinare ignaris. Ita Wegscheider in suis *Instit. Theologiæ*, alias memoratis, et Halæ impressis a 1819. in 8.° eandem recoquit crambem pag. 415. scribens: *Quo factum est ut*... *sæculo tandem IX. Paschasio Radberto au-*

ponere adversarii tentant, et suos incautis propinare errores dum ea seriò effutiunt. Nam absurdè confingitur, tales in Ecclesia ignorantiæ tenebras tunc invaluisse; ut nullus extiterit Episcopus, nullus doctor, qui

ctore doctrina de præsentia physica, s. de substantia panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi per consecrationem verè mutata, proponeretur et divulgaretur. Quod non credat judæus apella. Incredibile esset, sectarios talia absurda moralia sibi suadere posse, nisi sciremus, quid partis spiritus valeat. Sed ajunt: Nonne Paschasius *Epist. ad Frudegardum* scribit, sibi nonnullos adversatos fuisse, ac plures *ad intelligentiam hujus mysterii commotos?* Id quidem scribit, at verò addit, hanc esse Ecclesiæ doctrinam generatim receptam, inquiens: *Videat qui contra hoc venire voluerit, quid agat contra ipsum Dominum, et contra omnem Christi Ecclesiam. Nefarium scelus est, non credere, quod ipsa veritas testatur, et ubique omnes universaliter verum esse fatentur.* Non privatam ergo sed publicam Ecclesiæ fidem Paschasius illustrabat, ob quam impensè laudatus est in Parisiensi Concilio a. 845. Ait quidem nonnullos obscuros et imperitos, ut ex incertis rumoribus acceperat, excitatos esse; at neminem novit, qui apertè catholico dogmati contradiceret. Verum tantùm est, eo tempore quæstiones fuisse excitatas incidentes et accidentales quæ ad substantiam dogmatis non pertinebant: ex. g. An idem Christi corpus esset in Eucharistia, quod natum est et passum. 2. An species externæ sint ipsum Christi corpus. 3. An sit illud corruptioni ac secessui subjectum. Hæ posteriores controversiæ reali præsentiæ non adversabantur. Circa priorem Paschasius docebat, idem esse Corpus in Eucharistia, quod ex Virgine natum sit et passum. Contendebant alii inter quos Rab. Maurus, aliud esse corpus Christi Sacramentale, aliud naturale; quod illud fiat ex pane et vino, nec determinatam habeat molem. At quoad substantiam rei esse idem corpus utrinque concedebatur, et in æquivoco tota controversia stabat; nempe idem esse quoad naturam et rem ipsam, non idem quoad species et modum existendi. Hæ itaque controversiæ non infirmabant, sed potius confirmabant realem Christi præsentiam.

fidem in re tanti momenti et usu quotidiano obvia mutari non animadverterit. Sed nemo est vir cordatus, qui ignoret, has tenebras dolosè ad hæreticis et ab incredulis amplificatas, nullibi nisi in illorum cerebris extitisse, quas data opera comminiscuntur, ut callidè insinuent, in tanta conficta obscuritate fidem catholicorum invaluisse, ac indoctorum mentes pervasisse. Ad hoc paradoxon eliminandum paucis ab hinc annis opellam evulgavimus sub titulo « Apologia sæculorum barbarorum » cui plures viri eruditi suffragium tulerunt, sed quam non pauci homines præjudiciis agitati, dolo malo, au inscitia ignoro, vituperarunt. Quem enim eruditum virum latere potest quot floruerint eo tempore homines ingenio et literis exculti, ut facile quisque deprehendat, sua tunc Ecclesiæ non defuisse lumina, sed potius summorum ingeniorum numero inclaruisse? Nam ut plures omittamus in historiis claros viros, sæculo VIII. floruere S. Beda, S. Joannes Damascenus, Andreas Cretensis, Paulus Warnefridus, S. Paulinus Aquilejen. Sæculo autem IX. Caroli Magni ætate celebriores habentur S. Alcuinus Flaccus, S. Agobardus Lugdun. S. Remigius Lugdun. S. Ado Viennen. Eginhardus, Isidorus Mercator, Rabanus Maurus, Hincmarus Rhemen. Paschasius Rathertus, Lupus Servatus, Walafridus Strabo, Anastasius Bibliothecarius, Photius, Usuardus &c. &c. Et Sæculo X. S. Odo, Luitprandus, Ratherius Veronen; Oecumenius, Simeon Metaphrastes, Regino, Flodoardus, Leo VI. Imperator et Philosophus: Demum Sæc. XI. Silvester II. Papa omnigena eruditione ornatus, Fulbertus, Burchardus, Georgius Cedrenus, S. Petrus Damiani, Theophylactus, Laufrancus Can-

tuariensis Archiep. natione Italus, et alii innumeri qui hoc et sequenti Sæculo floruere, ut Pisis Theodoricus, Grimoaldus, Burgundio, Petrus Diaconus: Lucæ S. Anselmus: Florentiæ S. Petrus Damiani, in Anglia et Italia S. Anselmus Archiep. Cantuar. in Galliis S. Bernardus &c. &c. ut mirari debeamus confidentiam ac temeritatem adversariorum cum ignorantiæ tenebras jactant horum temporum, quasi tot virorum Scripta non adhuc extarent, et plurium doctrinam et ingenium agnoscere non possemus. Quare ridenda prorsus allata hypotesis de insensibili mutatione in hoc fidei dogmate. Paschasius itaque Ratbertus in gratiam juniorum Saxonum, qui ad fidem se converterant, Opus suum scripsit, quod recognitum a Varino Abb. Corbejensi ad Regem Carolum Calvum missum est, ac nemine reclamante quasi aliquid novi doceret, perlectum. Quis nisi bardus aliquis, credat, librum illum statim tum latinorum tum græcorum, et orientalium omnium mentes occupare potuisse et ab avita doctrina in novam quandam et inauditam sententiam pertrahere? Si tanta eo tempore Præsulum fuisset incuria in doctrina catholica custodienda, ut sibi adversarii fingunt, cur tam durè Berengarius exagitatus esset, qui ut Claudio placet, antiquam doctrinam tuebatur? Cur tam benignè et honorificè exceptus Paschasius, qui, ut idem vult, novum commentus erat errorem? At quænam esset vera ac avita doctrina jam supra abunde vidimus, ut nihil aliud Paschasius fecerit quàm illam illustrare, et veterum auctoritate communire.

CXCII. Sed exemplis absurdam opinionem suadere Claudius laborabat, ut ostenderet tales contingere mu-

tationes; ut usus conficiendi Eucharistiam in azymo quæ, ait, per novem sæcula in fermentato fuerat celebrata; nec non usus Calicis ad sæculum usque XIII. qui laicis postea ablatus est. Verum hæ mutationes disciplinam respiciunt; et hi usus nec universales erant nec vigebant ubique: Non verò circa fidem, ut inter utrumque immane sit discrimen. Et disciplina quidem a circumstantiis pendet, cujus mutatio a legitimis causis sumitur, et solemniter in Conciliis sancitur. At fides cum Christum habeat auctorem omnem prorsus refugit novitatem. Præterea quas Claudius objicit mutationes universales non sunt: Non prima, cum græci nunc etiam illam adhibeant consuetudinem: Non altera, cum græci moscovitæ, et orientales nonnulli Romanæ Ecclesiæ conjuncti uti Maronitæ Eucharistiam sub utraque specie sumant, scientibus Latinis, nec id improbantibus. Cæterum usus conficiendi Sacramentum in azymo in Ecclesia latina antiquissimus est. Instant hæretici, quod si hoc dogma antiquitus in Ecclesia viguisset, fieri non poterat, quin illud rescirent gentiles, qui omnia Christianorum Mysteria rimabantur. Hoc tamen dogma minimè eis objecisse apparet, nec ipse Julianus imperator qui a Religione apostasiam fecerat. Plura ad hoc responderi possent; et 1. contingere id potuisse ex disciplina Arcani, qua veteres mysteria occultabant, ut videre est apud Schelstratum in dissertatione de hac re, qui inter alia refert, Julium Pontificem *Epist. ad Orientales*, Eusebianos reprehendisse, quod sub externo judice, præsentibus ethnicis, quæstionem de Corpore et Sanguine Christi habuerint. Theodoretus Dial. 2. habet: *Ait orthodoxus: Apertè dicendum non est: verisimile*

enim est adesse aliquos mysteriis non initiatos. *Eranistes inquit: respondeatur ænigmaticè*. Hinc pagani Christianis hanc exprobrabant obscuritatem, ut Cæcilius apud Minutium Felicem in *Octavio*, ubi ait: *Latebrosa et lucifuga natio in publicum muta, in angulis garrula, cur occultare et abscondere quidquid colunt magnopere nituntur?* Hanc praxim mysteria occultandi servabant gentiles, qui ea formula utebantur « Procul hinc, procul est profani ». Quanquam res explorata non est, nihil audivisse ethnicos de Mysterio hoc, nihilque objecisse; licet illud malè intellexerint, ut inde prodierit pervulgata illa infanticidii accusatio, ac thyestearum cœnarum exprobratio. Revera quid designaret aliud *infans ille farre contectus et occisus*, *cujus Christiani sitienter sanguinem lambunt, et certatim membra discerpunt*, ut eos accusabat Cæcilius apud eundem Minutium? Non absurdæ itaque sententiæ, sed criminis accusabantur; atque ob confusam opinionem hanc testatur Augustinus l. 20. contra Faustum, nonnullos putasse Cererem et Liberum apud Christianos coli. Nec dici posset, eam infanticidii accusationem a Gnosticorum flagitiis ortam, qui, referente Epiphanio Hær. 26. infantem in mortario pistillo tundebant et manducabant. Nam horum crimina qui christianorum nomine falsò gloriabantur, suspicionem quidem auxerunt, de qua expostulabantur Christiani; sed jam ex confusa Eucharistiæ notitia fundamentum acceperat. Quin gnostici ipsi non nisi ex dogmate Christianorum ad illud perpetrandum scelus occasionem arripuisse videntur. Quantum ad Julianum incertum est, an quidquam contra hoc mysterium objecerit, cum secun-

dus ac tertius liber in quibus de mysteriis pertractare promittit totus perierit. Non ignoramus denique plura Calvinistas opponere ex testimoniis Patrum, quæ tamen non moramur, tum quia testimonia supra prolata decretoria sunt, quæ verò in contrarium afferuntur aut obscura inveniuntur aut de speciebus dicta facilè explicantur; tum quia cætera adeo sunt puerilia et inepta, ut in iis exponendis tempus et operam non referat perdere. Cæterum non inficiamur, Patres nonnullos requisivisse a fidelibus ut cum fide ad hoc Sacramentum accederent, non quod putaverint per fidem tantùm illius fieri participes, sed ut cum fructu ac meritò Mysteria susciperent, non sacrilegè aut indignè; nam juxta Apostolum: *Qui manducat et bibit indignè, Judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini*. Nec obstat, Patres aliquando dixisse, Eucharistiam typum esse, signum, figuram aut symbolum Christi aut ejus præsentiæ et passionis: Non enim de simplici aut vacua figura id intelligebant, sed de figura plena quæ rem ipsam contineat: Eucharistia itaque est simul signum corporis et ipsum Corpus Christi: signum habetur in speciebus sensibilibus: res adesse creditur per fidem cum nobis sit modo insensibilis et inconspicua: Præterea Eucharistia simul continet Corpus Domini, ac simul antitypus est suæ passionis, oblationis, ac mortis, ut ipse dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*: Et Apost. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, Mortem Domini annuntiabitis donec veniat*: Quo simul vaticinatus est Apostolus, Sacramentum hoc et sacrificium perenniter in Ecclesia ad Mundi finem usque et ad extremum Judi-

cium duraturum. Demum hic figuram et veritatem secum non pugnare docebat olim S. Cyrillus Hierosol. in laudata Catechesi Mystagogica inquiens: *In figura panis datur tibi corpus, et in figura vini datur tibi sanguis, ut cum sumpseris Corpus et Sanguinem Christi, concorporeus et consanguineus ipsi efficiaris: sic enim Christiferi efficimur, distributo in membra nostra corpore ejus et Sanguine.* Idem initio hujus IV. Catech. post relata Apost. Pauli verba ad Cor. XI. addit: *Cum igitur ipse de pane pronuntiaverit ac dixerit: Hoc est corpus meum: quis audebit ambigere? Et cum idem ipse tam asseveranter dixerit: Hic est Sanguis meus: quis unquam dubitaverit, ut dicat non esse ejus Sanguinem?*

CAPUT VII.

QUOD REALIS CHRISTI PRÆSENTIA IN EUCHARISTIA HUMANIS RATIOCINIIS IMPUGNARI NON POSSIT.

CXCIII. Præcipuum Calvinistarum momentum quo adducti sunt, ut in hoc Mysterio ab Ecclesiæ Catholicæ fide deficerent, est oppositio illa, quam inter Mysterium hoc et rationis humanæ principia se ajunt deprehendisse. His argumentis triumphare gloriantur, etsi nulla alia forsan infirmiora proferri queant. Nec confidant ex novis physicis et chimicis tentaminibus aliquid præsidii posse acquirere ut hoc Mysterium oppugnent; cum semper in eadem, imo et in majori de rerum naturalium natura ignoratione versemur; ut hæretici rude vulgus

ineptis suis sophismatibus fortasse decipient, veris tamen philosophis et physicarum rerum gnaris haud quaquam illudent. Præstat nihilominus horum argutationes a Baylio quoque et a Clerico repetitas refutare, ut omni dispulsa caligine, Catholicum Dogma splendidius elucescat. Statuimus itaque, ex humana ratione sensuumque judicio minimè demonstrari posse inpossibilem Christi realem præsentiam in Eucharistia. Nam 1. Ut rei alicujus repugnantia demonstraretur, necesse foret, ut clara et distincta subjecti et prædicati haberetur notio, atque ut ex utriusque proprietatibus simul existendi impossibilitas inferri posset. Ut ex. g. sciremus, an repugnantiam involvat, ut idem corpus pluribus in locis eodem tempore per Dei potentiam queat existere; necessum foret 1. ut intimam corporis naturam exploratam haberemus. 2. Quibusnam proprietatibus spoliari possit, quin ejus destruatur natura. 3. Quot esse possint ejus existendi modi, si a legibus fuerit expeditum; quibus modo obstrictum est a voluntate Dei Creatoris. 4. Ad quæ Dei omnipotentia circa res creatas se queat extendere. 5. Quid sit tempus. 6. Quid sit locus seu spatium. 7. Quid sit distantia. 8. Quid corporum extensio et unde oriatur; atque alia his similia. Nisi hæc perspecta habeantur, perperam de repugnantia illius propositionis ac temere concluderetur. At cunctis fatentibus philosophis ea minimè distinctè cognoscimus; multoque minus de rebus ad Eucharistiam pertinentibus notiones distinctas gerimus. Quomodo ergo judicium de hoc Mysterio ferre possemus? Potissimum cum contradictio esse non possit nisi de eadem re, eodem modo, ac sub eadem ratione considerata; ut quæ dicuntur de corpore

in suo naturali statu, dici non possint de eodem in alio statu considerato. 2. Quo modo hoc mysterium quis impuguare vellet, eadem ratione impugnabit Trinitatis, Incarnationis, et divinæ Immensitatis Mysteria; ut hac falsa methodo Sociniani ea impugnant: At ea Mysteria licet rationi inaccessa a Calvinistis rationi contraria non habentur; quo ergo jure Eucharistiam impugnabunt? 3. De hac conficta repugnantia nonnisi ope rationis judicare valemus; sed hæc infirma est et angustis limitibus circumscripta, ut vix ea attingat, quæ ad hunc naturalem ordinem pertinent; qui fiat ergo, ut de Mysteriorum repugnantia judicet; quibus nihil simile in natura occurrit, ut de his claras habere ideas nequeamus?

CXCIV. Auctoritate virorum præstantissimum catholica veritas confirmatur (*). Nam 1. in ipsis veritatibus

(*) Placet hîc sententiam afferre Leibnitzii Viri eruditissimi et philosophi ac mathematici percelebris, ut omnes norunt. Hic licet lutheranismo addictus, catholicas veritates sæpe fatebatur et laudabat; ut ejus testantur Epistolæ; sed præcipuè id palam fit in opere posthumo recens edito a D. Eymery cui tit. *Systema Theologicum*, quod habetur in opere « *Exposition de la Doctrine de Leibnitz sur la Religion*.... A Paris 1819. in 8.° Ubi pag. 220. Leibnitius scribit. *Venio ad Eucharistiæ Sacramentum in quod major certaminum moles incubuit. Quidam enim liberius ratiocinantes in judicandis divinis mysteriis, et verbis quibusdam Chrysostomi et Augustini abutentes defendunt in cæna Domini Corpus et Sanguinem Christi non esse realiter, sed tantùm repræsentari seu significari: tantùm enim distare a nobis, quantùm cælum a terra, nec in pluribus locis esse posse quidquid veram corporis naturam habet... Nos autem tutius verbis Salvatoris insistemus, qui cum panem et vinum accepisset dixit: hoc est corpus meum: et pia antiquitas in hoc Sacramento semper magnum mysterium agnovit super humanæ mentis captum...*

naturæ lumine cognitis ad Deum et ejus opera pertinentibus mysteria adsunt, quæ tamen a nullo sanæ mentis philosopho in dubium revocantur. 2. Ipsæ naturales scientiæ mathematicæ et physicæ inextricabilibus obruuntur difficultatibus quæ ob nostræ mentis brevitatem solvi non possunt; quæ tamen contra demonstratas veritates nihil concludunt, ut ait Rousseaujus; imo et Baylius affirmat, insolubiles objectiones minimè lædere demonstratas veritates; ut hæc Mysteria sunt, quæ morali divina evidentia gaudent. 3. Hæc tenuere catholici omnium temporum ac perpetuo tenebunt, inter quos plures viri doctissimi, Philosophi ac Theologi cujusvis ætatis nobilissimi, Viri sanctitate ac eruditione insignes, qui singuli hujus mysterii sublimitatem venerati sunt quin de illius repugnantia unquam dubitaverint, imo illud a Sophistarum fallaciis solidissimè vindicarunt. Est igitur arrogantia non ferenda, velle, ut id repugnantiam involvat, quod per tot sæcula haudquaquam repugnans tot tantisque viris semper habitum est. Demum

Equidem si demonstrari posset invictis argumentis metaphysicæ necessitatis, omnem corporis essentiam in extensione seu spatii determinati implemento consistere, utique cum verum vero pugnare non possit, fatendum esset, unum corpus non posse esse in pluribus locis ne per divinam quidem omnipotentiam ... Sed tantùm abest, ut quisquam philosophorum jactatam illam demonstrationem absolverit, ut contra potius solidè ostendi posse videatur, exigere quidem naturam corporis ut extensum sit, nisi a Deo obex ponatur; essentiam tamen consistere in materia et forma substantiali, hoc est, in principio passionis et actionis: substantiæ enim est agere et pati posse . . . quæ ut loco certæ magnitudinis definiatur ordo quidem rerum naturalis postulat, non verò necessitas absoluta cogit.

increduli sua et simplicium ignorantia abutuntur, dum ajunt, hanc cognoscere contradictionem, quam nunquam sciverunt, nec viderunt unquam. Nam præter Scripturas et Patres, ipsimet sobrii ac sinceri philosophi ultro fatentur, rerum naturalium ignoratione homines laborare; quod altissima Providentia disposuit ad illorum reprimendam superbiam, qui supra res divinas se audent attollere, suoque eas captu metiri; ea tantum nobis relicta cognitione, quæ ad vitam conservandam esset necessaria, et ad præstitutum nobis finem consequendum. Nam quantum ad naturam rerum Ecclesiastes c. 3. 11. ajebat: *Mundum tradidit Deus disputationi eorum, ut non inveniat homo opus quod operatus est ab initio usque in finem.* Et cap. 8. ait, *Intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum quæ fiunt sub sole et quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniet.* Apostolus quoque monebat, *ut caveamus, ne quis nos seducat per inanem philosophiam.* Et merito: nam si in naturalibus adeo ignari sumus, quæ ista temeritas est, velle res divinas sensu nostro metiri, easque a novatoribus, quod eas non capiant, denegari? Qua fronte sua et nostra ignorantia abuti audent, et quæ non noverunt unquam nobis objicere pergunt? Sed audiamus, quænam objectare velint.

CXCV. Ajunt itaque, quod implicat illud esse verum corpus, quod sit quantitate, extensione, dimensione, soliditate ac divisibilitate spoliatum: Tale esset Christi corpus in Eucharistia: non est ergo ibi verum corpus. 2. Quod sit impossibile, quantitatem esse sine figura, ergo et sine extensione. 3. Quod nequeat spiritus esse

in loco extensivè; ergo et corpus modo inextenso. 4. Si esset inextensè et indivisibiliter in Eucharistia, partes confunderentur et in unum punctum redigerentur, ut corpus amplius non esset. 5. Corporea substantia constituitur certa partium dispositione; sed in hostia consecrata eadem est partium textura; eadem ergo et panis substantia. Habemus tamen, quid primo tot difficultatibus generatim respondeamus: Nam 1. Quærimus, cur ad rationis tribunal nos adversarii provocent, qui Scripturam fidei normam statuunt? 2. Cur protestantes Angli et alii non pauci censeant temerariam illorum opinionem, qui negant posse Deum efficere, ut corpus careat locali extensione, ac pluribus in locis sit, dicantque, neque Zuinglium neque alios id affirmasse, ac disputasse tantùm de facto, illudque negasse; succenseant autem nobis, quod minimè impossibile id defendamus? 3. Cur Molinæus noluerit, ut damnaretur realis Christi præsentia in Eucharistia, et Zuingliani Lutheranis communionem exhibuerint, eosque a crimine idololatriæ absolverint et a nota dementiæ, etiamsi illorum dogma abstrusius illo catholicorum putaverint; damnent vero Pontificios, impudentissimi judices et iniquissimi? 4. Quare doceat Calvinus, Christi corpus in cælis existens verè manducari posse in terris, et spiritum verè unire quæ locis disjuncta sunt; nec interim possit in cælis et in terra simul existere? Concordent hæc, rogamus (*).

(*) Leibnitius Epist. ad Arnaldum (in citata *Exposition.* etc. pag. 418) circa præsentiam realem adnotat, *Confessionem Augustanam* a Catholica doctrina non differre nisi in breviori tempore, seu in usu, in quo Christus sit in Eucharistia, ut utrobique eædem recurrant difficultates expediendæ, nec adsit cau-

CXCVI. Nec ea dicta sunt, ut argumentorum vim declinemus. Nam ad 1. reponimus, docere philosophos

sa cur in catholicos adeo vehementer exardescant, qui verius quam hæretici sentiunt. Scribit ergo: *La substance seule du corps n'est pas sujette à l'étendue et par conséquent aux conditions du lieu, comme le prouverons nettement . . . et par consequent que la transubstantiation, pour me servir d'une expression très sagement employée par le Concile de Trente et que j'ai éclercie d'après saint Thomas, n'est pas contraire à la confession d'Augsbourg, et même en est une consequence; qu'ainsi il ne reste plus entre le deux partis d'autre question que de savoir si la presence réelle ou la transubstantiation, que je montrerai être renfermées l'une dans l'autre, sont instantanées (ou ne subsitent qu'au moment de l'usage ou de la reception de l'Eucharistie comme le veut la confession d'Augsbourg) ou bien si étant commencées au temps de la consécration, elles subsistent jusqu' au temps de la corruption des especes, come l'enseigne l'Eglise Romaine: La durée ne fait rien à la nature de la chose. C'est à l'Ecriture sainte et à la tradition de l'Eglise seules, qu'il appartient de nous faire connoître le quel des deux le Seigneur a voulu. . . . La conséquence c'est que sur le fond et la maniere du mystère, si exceptez la durée, sont d'accord. . . .* In laudato autem *Systemate Theol.* ibid. p. 228. addit: «Porro « certum est antiquitatem tradidisse, ipsa consecratione fieri con« versionem . . . nec unquam veteribus auditum est novum quo« rundam dogma, quod in momento perceptionis demum ad« sit Corpus Christi. Certum enim est nonnullos sacrum hunc « cibum non statim consumpsisse, sed aliis misisse, secum do« mum, imo in itinera, in deserta tulisse, eumque morem a« liquando fuisse commendatum, quamquam postea abrogatus « sit majoris reverentiæ causa: Et profecto aut falsa sunt quæ a « Sacerdote pronuntiantur verba institutionis, quod absit; aut « necesse est, quod benedictum est, esse Corpus Christi. Ut « taceam, qui sic sentiunt in tricas incidere, utrum in labiis, « aut in ore, aut in gula, aut in stomacho primum incipiat, « an ne in hoc quidem, si vitio ejus symbola non consuman« tur. ».

plures, quod corporis essentia nequaquam in dimensione sit posita; cum in eo sit constituenda, quod extensionem naturaliter tantùm exigat, et in hoc ab incorporea substantia distinguatur. Alii volunt, non posse corpus cogitari, nisi extensum; at fatentur contineri nunc arctiori loco, nunc ampliori: Sunt præterea qui contendunt, incompertam nobis esse rerum omnium essentiam, nec illam censent aliud, nisi quod, sepositis omnibus proprietatibus, reliquum manet. Ex his eligat quis eam sententiam quæ magis arridet, et evanescet prior difficultas, dummodo a mente non excidat Canon 3. Sess. XIII. Concilii Trid. *Si quis negaverit in Venerabili Eucharistiæ Sacramento sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus separatione facta, totum Christi corpus contineri, anathema sit.* Sufficit ergo *separatione facta* in qualibet parte totum Christi corpus confiteri: Patres enim non fuere de philosophicis concertationibus solliciti, atque consultò verba illa addidere. Dici etiam posset, implicare quantitatem sine extensione interna partium in ordine ad se, non verò sine extensione in ordine ad locum qua se loco determinato coëxtendat. Tunc partes non permiscentur inter se, at unaquæque ordinem suum naturalem servat in ordine ad se cum proxima aptitudine ad impenetrationem actualem obtinendam; quod exemplo cameræ opticæ et objectorum in oculi fundo depictorum posset explanari: Ex interna illa extensione oriretur externa, qua non privaretur Christi corpus in Eucharistia. Si ea concipere difficile est, plura quoque non concipiuntur physices arcana ad opticen et ad seminum germinationem pertinentia. Cæterum corpus Deo volente privari

extensione posse non ratione tantùm Orthodoxi ostendunt, sed et exemplis ex Evangelio desumptis, ut cum Christus ad discipulos jannis clausis ingressus est, cum de sepulcro occluso exivit, cum panes multiplicavit et alia hujusmodi. Denique non magis est essentiale corpori occupare locum, quam gravi ponderare, colorato videri, calido calefacere, quibus tamen constat sæpe corpus spoliatum fuisse Deo jubente: ut cum Christus supra mare ambulavit, aut cum in Cœlum ascendit: cum e medio judæorum exivit quin eum viderent: cum tres pueri in medio fornacis ardentis combusti non sunt: Quæ omnia possibilia Scripturæ apertè affirmant, ut cum dicunt. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*. Et Matth. 19. *Facilius est camelum per foramen acus transire quàm divitem intrare in regnum cælorum*: ubi non de impossibilitate absoluta agitur, at verò de relativa, de re nempe hominibus impossibilis non Deo. Id verò, nisi per penetrationem, fieri non potuisset. Ad 2. dicimus, impossibile esse, quantitatem haberi absque figura organica quæ pendeat a positione partiùm extra partes in órdine ad se; at impossibile nunquam demonstrabitur, esse posse sine figura locali quæ pendeat a varia partium dispositione in ordine ad locum. Ad 3. reponimus, spiritum nullas partes habere, quas habet corpus semper saltem in ordine ad se. Non enim est in Eucharistia absque extensione ulla. Non valet ergo adducta paritas. Ad 4. Partes illæ naturalem inter se dispositionem retinent; licet in ordine ad locum non habeant distinctam ac diversam extensionem et conformationem. Ad 5. Partium textura est quidem exterior et visibilis naturalium corporum modificatio specifica,

non verò intima corporis essentia et natura, quam se ignorare ingenuè fatentur philosophi. Quare in Hostia consecrata eadem est partium textura quantum ad phœnomena et apparentias seu quantum ad actionem in sensus nostros et in circumstantia corpora; non verò quantum ad objecti naturam, et existendi modum. Nec inde inferri posset, hos ludificari aut decipi, cum non id contingat juxta consuetum naturæ ordinem, sed præter ordinem hunc, ac divina interveniente revelatione. Idemque de effectu nutriendi est dicendum; id enim non est effectus Corporis Christi, sed specierum, quæ quantum ad effectum idem operantur ac si substantia adesset. Nec enim implicat, ut Deus omnes illos effectus suppleat ac præstet, qui ex nihilo omnia fecit.

CXCVII. Habent præterea adversarii circa locum quod opponant: Non potest, ajunt, unum idemque corpus pluribus simul in locis reperiri, cum omne corpus suis sit circumscriptum limitibus; at in hoc mysterio hoc non esset. 2. Esset corpus unum et non unum divisum, et indivisum, quæ repugnant. 3. Dici posset quod manducetur et non manducetur: quod existat, et desinat esse; quæ contradictoria sunt: 4. Christi corpus est circumscriptivè in cælis; alibi ergo esse nequit. 5. Idem corpus diversis temporibus non existit; neque ergo diversis in locis. 6. Deo soli convenit nullo circumscribi loco; non ergo corpori convenire potest. Sed hæc, quæ Albertinus (*) et alii maximi faciunt, constat apud

(*) Morhoffius in *Polystore* T. 3. l. 5. n. 29. scribit: *Doctrinam de Transubstantiatione impugnavit e reformatis Edm. Albertinus singulari opere, Daventriæ* 1654, *fol. excuso. Valde exagitantur Pontificii hoc opere, nec facilè in-*

sanos philosophos mera esse sophismata. Adversarii norunt, repugnantiam non esse nisi oppositionem inter duas notas ideas. Hinc infertur: Cum nequeamus de rebus rationem excedentibus distinctas habere notiones, aliquam inter eas oppositionem ostendere est impossibile. Quærimus ergo: De statu, dotibus, et existendi modo corporis gloriosi, num adhuc acquisivimus claras distinctasque notiones? Num quid sit locus jam perspecte cognovimus? Qua igitur via, quave ratione contradictionem in Eucharistia demonstrare quis aggredietur? Et si foret, qui scire se arbitraretur, quid locus sit; sanior tamen philosophorum pars hoc esse reconditum naturæ arcanum mirè consentit. Itaque naturæ mysterii ope Religionis mysterium impugnaretur, quæ certè fallax est ac pessima disputandi methodus. Quàm rectius Ecclesiæ Patres hæc probè agnoscentes ad potentiæ divinæ arcana hæc referebant: *O miraculum, o Dei benignitatem!* exclamabat Chrysostomus: et S. Gregorius Nyssenus ajebat: *Cum solum illud corpus quod Deus suscepit, hanc gratiam acceperit, oportet considerare, quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus quod tam multis fidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuitur, totum per partem sit in unoquoque, et ipsum in se totum maneat*. Ut ergo hæc expediantur non ad inanes philosophantium tricas; at ad Virtutem Dei ejusque potentiam confugiendum est. Rogare præterea adversarios possemus qui ne

venient quod opponant. At si Morhoffius nostrum fuisset delatus in ævum nec præventus pro sectariis suis rem expendere neglexisset, non tam confidenter pro Albertino epinicium cecinisset ante partam victoriam.

hilum quidem a Scripturis discedere profitentur: Si Christus cælum nunquam deserit, quomodo visus est Paulo Damascum proficiscenti? Non certè in aliena forma, nisi vim manifestam textui inferre voluerimus, cum dicat Apost. 1. Cór. xv. se Christum vidisse, ut cæteri Apostoli post resurrectionem viderunt: *novissime tamquam abortivo visus est et mihi*.

CXCVIII. Non tamen difficultatum pondus eludere intendimus. Quare ad singula respondemus, et ad 1. Non potest unum idemque corpus esse naturaliter in pluribus locis neque etiam divinitus circumscriptivè; sed negamus, fieri non posse ut divinitus sit circumscriptivè uno in loco, ac in aliis definitivè et sacramentaliter (*). Si ratio itaque habeatur naturalis ordinis, non

(*) Audiatur iterum Leibnitius, qui Op. T. 1. pag 30. (V. Pensées de Leibniz sur la Religion etc. A Paris 1803. T. 2. in 8. p. 105) habet: *L'essence du corps consistant dans la force, l'application de la force aux dimensions s'ensuit naturellement par l'intention de Dieu, qui a voulu que tout se fit suivant certaines règles mathématiques, PONDERE NUMERO MENSURA. Et c'est en consequence de ce la que les corps ordinairement n' opèrent point IN DISTANS, qu'ils n'occupent pas tantôt un plus grand, tantôt un moindre espace* etc. *Mais ce que Dieu a voulu pour le bon ordre des choses, ne l'obblige pas lui-même, et n'empêche pas, qu'il ne puisse changer par des raisons d'un ondre superieur*. Ubi Vandermonde in nota addit: *Adjutons une réflexion a ce raisonnement de notre auteur. La masse est comme le lieu occupé, c'est l'experience qui nous l'apprend, mais où est l'impossibilité qu'elle soit comme de lieu occupè multipliée par X? dans l'ordre naturel, X. est un: dans l'ordre surnaturel, il est tout ce qu' il plait a Dieu. Nous proposons cette consideration aux Reformés en général, et à M. Rousseau de Genéve en particulier*. Videantur *Institutions Leibniziennes de M. l'Abbe Sigorgne*, ubi hæc doctri-

potest quidem corpus esse in pluribus locis. Corpus enim est circumscriptivè seu dimensivè in loco, cum secundum varias sui partes variis applicatur loci partibus: ita Christi corpus erat in terris antequam cælos repeteret, et modo est in cælis.

Corpus verò dicitur esse in loco definitivè, quando non localiter nec dimensivè et per partes, licet totum, est præsens in loco. Hic modus vocatur Sacramentalis, quia hujus Sacramenti proprius et singularis est; qui captum licet nostrum superet, Dei virtutem excedere dici nequit, atque illustrari potest exemplo humani conceptus, qui voce circumvestitus totus est in mente concipientis, totusque in animis audientium. Ad 2. Esse unum et non unum ratione entitatis contradictionem utique involvit, non tamen ratione loci. Non enim unitas entitativa desumitur ab unitate loci, cum res prius concipiatur una, quàm in loco existens. Quare idem corpus si non esset idem Florentiæ et Pisis quantum ad localem præsentiam, esset quantum ad substantiam et entitatem secundum quam idem numerò diversis in locis adest et præsens est. Ad 3. Dici potest, quod Christi corpus manducetur et non manducetur, sit divisum et non divisum secundum diversa loca et va-

na de præsentia corporis pluribus in locis optimè illustratur pag. 90 Hinc infertur quàm rectè Cl. Maupertuisius affirmabat (Essai c. 7.): *Jamais on ne fera voir d'impossibilitè dans les Dogmes, que la Religion Chretienne enseigne.* Itaque concludebat Kortholtus in notis ad Leibnit. Epist. ad Fabricium T. 5. Opp. 241. *Quand on soutient, qu'un corps est present en divers lieux mais en diverses manières, dont l'une nous est inconnue; on ne prouvera jamais qu' il y a de la contradiction en cela.* Hæc dicta sint, ut quisque videat, responsa ad objecta, quæ dantur, a præstantissimis philosophis comprobari.

rios existendi modos : non secundum eadem loca et modos existendi eosdem. In his nulla involvitur repugnantia, quæ ut vera sit, esse debet de eadem re, sub eodem respectu considerata. Ad 4. Corpus quod est circumscriptivè in loco, forsan esse non posset circumscriptivè extra illum: at certè esse potest definitivè; quod ad rem hanc satis est, licet plures defendant etiam circumscriptivè id fieri posse (*). Ad 5. Disparitas est, cum tempus sit essentialiter successivum; et e contra duo loca possint esse simul, et ideo continere idem corpus, eo modo quo duo corpora divinitus compenetrari possunt. Ad 6. Deum per naturam nullo posse loco circumscribi. At Christi corpus in Eucharistia non est in naturali statu, sed modo supernaturali ac planè divino, atque ex supernaturali virtutis divinæ miraculo, quod solum hanc gratiam accepit, ut Nyssenus ajebat Oratione xxxvii.

CXCIX. Demum de accidentibus seu speciebus litigant adversarii, quas superesse in Eucharistia certum est; sed accidentia, ajunt, sine subjecto stare nequeunt; perstant ergo panis et vinum, quæ ab accidentibus exhibentur. Itaque ea de re Concilia Lateranense, Florentinum ac Tridentinum definivere, totam panis et vini substantiam converti in substantiam corporis et Sanguinis Christi, species verò seu accidentia manere. Verum quid hæc sint aut in quo consistant Ec-

(*) Circumscriptivè esse in loco significat etiam ibi esse juxta naturalem suam dimensionem: definitivè autem adesse in loco, significat corpus ibi quidem esse quantum ad sui substantiam, sed non quantum ad modum quo in ordinario suo statu juxta consuetas naturæ leges loco seu spatio coextenditur.

clesia non definivit quæ a philosophicis opinionibus semper fuit aliena, (*) Quare cum in Synodo Constan. damnata est illa Wiclefi prop. « In Eucharistia non manent accidentia sine subjecto » censura in accidentia non cadit, sed in subjectum sive in substantiam panis et vini, quam Wiclefus superesse volebat; Etsi ergo nulla esse possent accidentia a subjecto distincta, in Eucharistia proculdubio supersunt species panis et vini sive apparentiæ seu phœnomena et impressiones in sensus nostros, quas adversarii non inficiabuntur suppleri posse a Deo in sensus et in circumstantia corpora; ut Christus hortulani specie Magdalene apparuit, aut discipulis euntibus Emauntem. Est itaque in Eucharistia Christus

(*) Clariss. Bergierius quid Ecclesia de hac re definiverit, quidve reliquerit philosophorum disputationi clarè exponit (*Dictionn. de Théologie dans l'Encyclop. Method. a Paris* 1788. *T.* 1 *pag.* 704. ubi hæc habet : *En décidant que la substance du pain n'est plus dans l'Eucharistie, mais que c'est le Corps de Jesus-Christ, qui est sous le apparence du pain, l' Eglise n'a pas expliquè la manière dont ce corps y est, s'il y est à la manière des esprits, ou autrement, si les parties de son corps sont pénétrées, ou impenetrables, s'il y est avec son étendue ou sans étendue* etc. *Elle a seulement enseigné, que Jesus Christ est tout entier sous chacune des especes, et tout entier sous chaque partie lorsque la division en est faite. Elle n'a pas défendu aux Théologiens de chercher a concilier ce Mystère avec les systemes des philosophes; mais nous sommes persuadès qu'ils n'y réussiront jamais. La manière dont J-C. se trouvè dans l'Eucharistie ne ressemble à aucune autre, elle est incomparable; par consequente incomprehensible et inexplicable. Rien d' ailleurs n' est plus incertain que les systémes philosophiques touchant l'essence, ou la substance des corps: les philosophes ne se sont jamais accordés, ils ne s'accorderont jamais et ils changent d'opinions de siècle en siècle.*

legibus naturæ solutus; atque ut de his rebus monebat August. Epist. ad Volusianum 3. *Hic si ratio quæritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare: Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis.* Ineptit igitur Genevensis civis, cum ait, ex dogmate catholico sequi, Christum corpus suum in manibus gestasse, ac proinde totum in parte fuisse contentum, sive totum sua parte fuisse minus; non enim eodem modo erat coram discipulis ac in suis manibus, in quibus non extabat naturali modo, sed modo supernaturali, sacramentali, ac tantùm definitivè. Verum si in ipso naturali statu corpora fieri queunt per expansionem aut contractionem sua parte majora; quanto magis in statu supernaturali id contigere poterit. Sed alia videamus.

CAPUT VIII.

DE TRANSUBSTANTIATIONE IN EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

CC. Lutherani admissa reali corporis Christi præsentia in Eucharistia, contendunt nullam fieri transmutationem substantiæ panis et vini in substantiam corporis et Sanguinis Domini, sed utramque simul permanere substantiam. Quæstio hæc affinis est præcedenti, iisdemque momentis stat, atque firmatur. Itaque per nos *Transubstantiatio* est conversio seu transmutatio unius substantiæ in aliam, nempe in Eucharistiæ Mysterio conversio substantiæ panis et vini in substantiam corporis

et Sanguinis Domini, solis remanentibus speciebus. Jure autem ac necessariò eam vocem consecravit Ecclesia, ut docet Tridentinum, ut præcludatur hæreticis omnis elabendi ac tergiversandi via. Id juris enim habet Ecclesia, ut novis erroribus nova non quidem dogmata sed vocabula iis revincendis accommodata opponat. Hinc eam vocem acriter carpunt hæretici quasi de novo cusa nec a veteribus usurpata. Revera non purè latina ea est, et a scriptoribus medii ævi adhiberi cœpit. At si apud veteres totidem syllabis hoc nomen non legitur, alias tamen voces usurpant, quæ eundem sensum reddunt, ut *conversionem, mutationem* &c. Et sicut latini, ita græci veteres ea vocabula adhibuere quæ substantialem indicant *conversionem* μεταβολην a græcis dictam, aut μεταποιησιν *transmutationem*, aut etiam μεταστοιχειωσιν, *transelementationem*. Cur autem latini *transubstantiationem*, sed græci μετουσιοσιν non dixerint, ideo erat, quod a pluribus *essentia*, *substantia* et *ousia* non pro ipsa interiori natura et essentia, sed pro exterioribus et sensibilibus proprietatibus, quæ in Sacramento supersunt, accipiebantur. Triplex autem modus excogitari potest, quo Christi corpus verè præsens fiat in Eucharistia, 1. per *impanationem*, 2. per *consubstantiationem*, 3. per *transubstantiationem*; qui solus verus est, et ad Fidem pertinet. Esset autem *impanatio* hypostatica unio Verbi cum pane, ut panem per consecrationem assumat, et cum eo intimè in Eucharistia conjungatur. Hanc Lutherus post Berengarii discipulos videtur non obscurè docuisse, cum dicat veram hanc prop. « panis est corpus Christi » et alibi « Christi corpus esse cum pane sicut ignis in ferro cadente ». At-

tamen lutherani vulgò hypostaticam illam unionem rejiciunt. Sed Osiander eam propugnabat, ac eò insaniæ venerat, ut affirmaret dici posse « hic panis Deus est » *Consubstantiatores* verò dicuntur ii, qui utramque panis et corporis Christi substantiam in Eucharistia consociant, conjunguntque; quibus Durandus accessisse videtur; sed hunc extinctum errorem excitavit Lutherus, etiamsi in eo varius et inconstans fuerit. Ex eo tamen illorum opinio nata est, qui ut Verbum ita et Christi corpus ubique esse dixerunt, quique *Ubiquistæ* appellantur, quem errorem Brentius, Illyricus aliique adoptarunt.

CCI. Catholica Veritas est itaque adversus *impanatores* et *consubstantiatores* statuenda, quod nempe in Eucharistia non maneat panis vinique substantia, sed vi consecrationis in substantiam corporis et Sanguinis Christi convertatur. Nam 1. ipse Eucharistiam consecrans et porrigens ait « Hoc est corpus meum » per quæ verba omnis excluditur panis cum corpore Christi commixtio. Si enim cum pane unionem significare voluisset, dixisset Dominus: In hoc, aut cum hoc, vel sub hoc pane est corpus meum: sed ita locutus non est; ergo ejus verba denotant, poni suum corpus, ut desinat esse substantia panis. 2. Si modo aliquo posset lutheranorum salvari opinio, id esset per expositam unionem verbi cum pane: sed illud est absurdum, et a lutheranorum pluribus refutatur. Imo Calvinus ipse ea opinione tolerabilius prædicabat catholicorum dogma; quare in *Refut. Cons. Orthodoxorum* ajebat » si opinio ex his duabus eligenda esset, mallem nos præsentiam Christi sub speciebus et accidentibus credere, quam cum Zuinglianis veram et realem præsentiam contra tam aperta Christi verba

negare « 3. Cum lutherani convenire cum Catholicis nolint, necessum est, ut ad judicem aliquem appellent, atque ad Ecclesiam universam in Oecumenicis Conciliis congregatam, præcipue cum Sacramentariorum et Calvinistarum quorumpiam judicium refugiant, illudque ut litigantium partis nec patiantur nec pati debeant. At universa Ecclesia in Conc. Lateranensi iv. sub Innocentio iii. an. 1215. et in Tridentino Sess. xiii. Transubstantiationis dogma definivit. Illud ergo ab omnibus est agnoscendum. 4. Sed et veteres Patres illud apertè testantur, ut Cyrillus Hierosol. Catech. iv. qui ait: *Aquam Christus aliquando mutavit in vinum .... et non erit dignus cui credamus, quod vinum in Sanguinem suum transmutarit?* S. Greg. Nyssenus Orat. xxxviii. inquit; *Panis statim per verbum transmutatur, sicut dictum est a Verbo: Hoc est corpus meum*. Chrysost. Homil. 83. in Matth. ait: *Qui hæc dona sanctificat et transmutat ipse est Christus*. S. Ambrosius rem et ipse confirmat l. *De Mysteriis* c. 9. ubi inter alia hæc habet: *Si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de cælo deponeret, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? Et qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare quàm mutare naturas.* At ne longius per Patrum volumina excurramus, sufficiet œcumenici Florentini Concilii auctoritas in quo tota occidentalis et orientalis Ecclesia erat congregata, et quod in Decreto unionis Armenis dato ita definit: *Verborum Christi virtute substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur*. Causa igitur finita est.

CCII. Regerunt hîc Lutherani : 1. Lucæ 24 et 1. Cor. 10. Eucharistiam appellari panem, ut sit argumentum panis substantiam in ea superesse. 2. Cum Christus Jo. 6 dixit « Ego sum panis », non se in panem transmutavit; ergo neque cum dixit « hoc est corpus meum » panem in seipsum convertit. 3. Sicut vera est hæc prop. « Verbum caro factum est » ob utriusque naturæ unionem, ita et altera ob unionem cum pane. 4. Uti de ferro ignito, ac de dolio vini pleno dicitur, hic est ignis, hoc est vinum, licet nec ferri nec dolii mutatio facta sit; ita et in Eucharistia. At bona lutheranorum pace, hæc nullius planè momenti sunt. Eucharistia enim, ut ad 1. occurramus, panis appellari potest vel ratione spiritualis nutritionis, vel ratione specierum quibus panis apparet. Quamvis igitur substantia panis transmutata sit in Corpus Christi, et jure negari possit, quod peracta consecratione sit panis, ut negat Ambrosius; tamen apud Lucam et apud Apostolum fractio panis, et panis dicitur, idque sine contradictione ulla. Negatur itaque 1. quod sit panis, si spectetur rei subjectæ substantia; et affimatur, si consideretur spiritualis vitæ alimentum. Hinc Auctor Sermonis de Cœna Domini inter Cypriani Opera ait: *Hoc Sacramentum aliquando Carnem et Sanguinem, aliquando corpus suum, aliquando panem Christus appellat : Panis dicitur propter nutrimentum vitæ: Caro et Sanguis propter veritatem naturæ : Corpus propter unitatem substantiæ*. 2. Eucharistia non panis appellatur dumtaxat, sed *panis supervenient, cælestis, supersubstantialis et qui dat vitam mundo æternam*. 3. Ita præterea nuncupatur, quod panis species conservet, et in sacrificio Melchise-

dech, in panibus propositionis, et in Manna præfigurata sit: tum ad commonstrandam materiam quæ in corpus Christi convertitur; uti virga Aaron in colubrum conversa virgæ nomen retinebat: ita Angeli qui hominum specie apparebant, nunc viri, nunc Angeli appellati sunt. Ac de Juda ex cujus Tribu ortus est Christus Gen. 49. dictum est: *Lavabit in vino stolam suam* (id est in Sanguine): et ipsum quoque cœleste convivium, quo beati potientur, Mat. 26. *vinum et genimen vitis*, vocatum est; atque ita de Eucharistia dicendum. Ad 2. paritas neganda est; Nam iis in verbis « Ego sum panis » lutherani metaphoram agnoscunt, quam negant in verbis cœnæ. Sed nec absolutè id Christus dixit, verum se nuncupavit *panem vitæ*, comparatè nempe ad Manna, de quo sermo ibi erat; ut quid cæleste, et quo Angeli fruuntur innueret. Ad 3. Si aliquod argumentum valeret, ut dictum est « Verbum factum est caro » ita dictum esset « corpus meum factum est panis » At neque id dixit, nec unquam panem nominavit, sed nudè ac demonstrativè dixit « Hoc est corpus meum » Verum ne suspicemur conversionem Verbi in carnem tum divinæ naturæ immutabilitas facit, tum quæ adduntur verba « *Et habitavit in nobis*, quibus utriusque naturæ distinctio commonstratur; quæ hîc non adsunt. Ad 4. Rem unam enunciari de alia per synecdochen, vel partem usurpari pro toto, rhetores docent: sed et per metonymiam res continens accipitur pro re contenta; quæ ex hominum instituto vulgaria sunt, eaque adductis exemplis aptantur. At panis neque ex natura sua, nec ex hominum consuetudine destinatus est, ut rem aliquam tanquam vas aut locus contineat. An Christus commu-

nem loquendi morem invertisset, et nec monitis Apostolis panem esse vas quoddam sui corporis tunc significasset? Unde Apostoli subodorari id potuissent? Idem foret, ac si quis aurum in pane occultè clauderet, et re non declarata palam diceret, « hoc est aurum ». Quis loquentem caperet, quis non irrideret? Nulla ergo translatio hic locum habet. Dicere nonnulli solent, ad eum sensum Apostolos jam paratos fuisse, eo quod dixerit Christus Jo. 6. *Panis quem ego dabo caro mea est*. Verum inde minimè quod volunt inferre potuissent, cum non dixerit « Panis carnem meam continebit » sed « Caro mea est » Contrarium ergo potius inferre debuerant. Imo cum lutherani verbum *est* hoc in loco in sensu proprio accipiant, non nisi de præsentia reali intelligere possunt, quæ per transubstantiationem fiat.

CCIII. Nec lutherani ex variis scholasticorum sententiis circa Transubstantiationis modum quidquam præsidii capere queunt: Ajunt, Scotum et Paludanum sensisse hanc ex Scripturis demonstrari non posse: Durandum illam apertè negasse: Dominicanos et Franciscanos inter se dissidere circa mutationis modum, illis *productivam* istis *adductivam* in instanti mutationem urgentibus: Hesychium demum referre, solitum fuisse cremari, si quid consecrati panis remansisset, quod sacrilegè factum esset, posita transubstantiatione. Sed hæc omnia quis non inania et futilia videat esse? Qui enim ajebant, hoc ex Scripturis non demonstrari, id tantum volebant, quod spreta Ecclesiæ auctoritate, nullus sit Scripturæ locus, qui in pravum nequeat sensum detorqueri; idque heterodoxi exemplo suo confirmant. Ab illorum tamen opinione nos dissentimus, et adversariis non scholasticos

sed Claud. Salmasium hæc adversus Grotium disputantem opponimus « Si ad literam accipiantur verba Christi, ut debere accipi contendunt Lutherani doctissimi, longè magis doctrinæ Pontificiorum favent, quàm lutheranæ « Durandus verò cum dure admodum se expressisset jure in catholicorum reprehensionem incurrit. Dici tamen potest *materiei* nomine qualitatem a substantia distinctam juxta peripateticos intellexisse; nam Dist. XI. Q. 1. scribit « Substantia panis et vini convertuntur in substantiam corporis Christi» Quo catholicum dogma profitebatur. Quantum ad illam quæ objicitur scholarum controversiam, modum respicit, non rem ipsam; ut inde nullum fidei pariat detrimentum. Nam Dei virtus, quæ modulum excedit nostræ mentis, hanc operatur admirandam mutationem, cujus viam nos ingenuè ignorare fatemur. Quod autem ad Hesychium pertinet, ipse L. 2. in Lev. c. 8. tradit, species sacramentales igni esse absumendas, quando corruptæ absque horrore comedi nequeunt; quod dogmati certè non nocet, estque decretis Ecclesiæ cohærens. Mittimus hic id non minus catholicos urgere, quàm lutheranos, qui tamen in suis opinamentis non sibi consentiunt. Imo Lutherus ipse l. *de Abrog. Missa* apertè scribit «Christum Dominum verbo virtutis suæ panem in corpus suum mutasse » et alibi scribit, se in hoc Ecclesiæ universæ consentire. Alii plures inter hæreticos errorem illum graviter improbant ut Zacharias Ursinus calvinista, qui in Miscellaneis c. 7. habet « Lutherani accusant Christum mendacii; negant enim panem esse ipsius corpus, sed dicunt, corpus esse in pane. Videant igitur, quomodo in extremo Judicio de hac blasphemia et calumnia sint Christo res-

ponsuri: Papistæ magis retinent verba Christi. » En quomodo se mutuo adversarii collidunt ac destruunt.

CCIV. Demum in Patrum quoque testimoniis patrocinium adversarii errori suo expiscantur. Hoc tamen ex malè intellectis illorum verbis ac phrasibus id eos deducere facilè evincitur. Revera non infrequens est apud Patres, accidentium congeriem, quæ rem unam ab alia secernunt, nomine φυσεως et ουσιας insigniri. Hinc Anastasius Sinaita φυσιν definit, quasi sit μορφη των οντων, nempe *forma rerum existentium*. Inter Latinos idem usus invaluit, ut Hilarius qui in Matth. c. X. scribit: *Corpus per fidem mortificatum in naturam animæ, evadit*. Et Ambrosius in Hexaëmeron l. 3. affirmat, *naturas fuisse mutatas quando e petra aqua fluxit, et ferrum aquæ supernatavit*. Chrysostomus verò de quo præ aliis litem movent, de igne agens qui pueros in fornace non combussit Hom. XII. inquit: *Dominum, quando vult, elementa omnia in contrariam mutare essentiam*. Ita alibi, ut clarum sit, ipsum et alios φυσεως seu *naturæ* nomine, species, sive accidentium complexionem, non substantiam intellexisse. Eo in sensu illas voces Patres usurpasse concedebat quoque Leibnitius licet lutheranæ sectæ addictus in *Systemate Theologiæ* supra memorato pag. 226. Sed hunc philosophum præstat audire, ibi enim habet « Sunt qui præsentia reali admissa, quandam, ut ita dicam, impanationem defendunt: Ajunt enim corpus Christi exhiberi in, cum, et sub pane: itaque cum Christus dixit: hoc est corpus meum, intelligunt, ac si quis sacco ostenso diceret, hæc est pecunia. Sed pia antiquitas apertè satis declaravit, panem mutari in Corpus Christi, vinum in sanguinem,

passimque hîc veteres agnoscunt *metastoichesin*, quam latini *transubstantiationem* rectè verterunt; et definitum est, totam substantiam panis et vini transire in totam substantiam corporis et sanguinis Christi; et quemadmodum igitur aliàs, ita hîc quoque explicanda est Scriptura ex traditione, quam custos Ecclesia ad nos usque transmisit. Interea sæpe superstitibus speciebus, nomen panis et vini attributum est, cum sensu non distinguantur: sic S. Ambrosius . . . et Gelasius Pontifex Romanus innuit, panem transire in Corpus Christi manente natura panis, hoc est qualitatibus ejus sive accidentibus: neque enim tunc ad metaphysicas notiones formulæ exigebantur; quo sensu et Theodoretus dixit, in hac conversione, quam ipse *metabolen* vocat, mystica symbola propria natura non exui; quæ contra illos quoque notari possunt, qui hodie ne accidentia quidem panis verè remansisse volunt, sed tantùm eorum speciem sive apparitionem inanem et somnio similem » Videantur cætera quæ ibi habet hic Auctor; nam satis nobis videmur catholicam doctrinam hucusque vindicasse. Interim precamur, ut Deus O. M. det nobis fidem caritatemque æmulari S. Tarsicii Ecclesiæ Romanæ Acolythi, qui mortem potius oppetere maluit, quàm venerabile corporis Christi Sacramentum profanis prodere, ut S. Damasus Rom. Pont. testabatur, ita de eo eleganter canens simulque catholicum dogma confirmans:

Tarsicium sanctum Christi Sacramenta ferentem
Cum malesana manus peteret vulgare profanis,
Ille animam potius voluit dimittere cæsus,
Prodere quàm canibus rabidis CAELESTIA MEMBRA.

CAPUT IX.

DE EUCHARISTIA UT EST NOVÆ LEGIS SACRIFICIUM.

CCV. Illud est Eucharistiæ singulare ac proprium, ut non modo Sacramentum sit planè mirandum, sed et Novæ Legis Sacrificium propriè dictum unicum ac nobilissimum, quod communi vocabulo *Missa* appellatur, eo quod indignis et nondum initiatis, ne huic interessent *dimissio* dabatur. Est autem Sacrificium propriè dictum « Oblatio rei sensibilis cum ejus destructione vel immutatione soli Deo facta per legitimum Ministrum ad recognoscendum supremum ejus in res omnes dominium, ritu mystico consecrata » Non ergo quæstio hìc est de sacrificio spirituali et improprio, quo sensu Missam, seu sacram cœnam appellare sacrificium novatores non diffitentur; at verò de Sacrificio externo verè ac propriè dicto, quod tale Eucharistiam esse hæretici præfractè negant. Ita Lutherus in *Formula Missæ* ab eo edita an. 1523, oblationem seu sacrificium abominationem appellat: et l. *de Missa privata* an. 1534. scribere ausus est, « tandem sibi a dæmone suggestum ac persuasum fuisse MissæSacrificium abrogandum esse » bellus sane orator! Philippus autem Melanchton sibi visus est medium invenisse quo realis præsentia retineretur simulque expungeretur sacrificium, si diceretur nempe, Christum permanenter in Eucharistia præsentem non esse, sed tantùm in usu. Ut id Lutherus rescivit, exclamasse dicitur « Macte virtute, mi Philippe: tibi debetur gratia,

qui Pontificiæ Missæ potuisti sacrificium adimere, quod ego tentavi et aggredi non fui ausus » Hæc Hospinianus narrat p. 2. At vano ac stulto conatu hæc moliebantur novatores: Nam 1. Sacrificio in vera Religione opus esse, id clarius est quam ut demonstratione indigeat. Et quidem ex parte Dei quadruplex necessitatis causa assignari potest, nempe, Protestatio supremi Dei dominii erga nos: Gratiarum actio pro beneficiis a Deo acceptis: Novorum impetratio: et expiatio delictorum; unde colligitur a S. Thoma 2. 2. q. 85. quod oblatio sacrificiorum ad jus naturæ pertineat. Ex parte autem hominum id exigit ejus conditio, qui cum corpore et animo constet, non interiori tantùm, sed et exteriori cultu Deum suum prosequi debet: quique præterea non nisi signis quibusdam externis ac sensibilibus in Religionis unitatem cum aliis consociari posset: ut animadvertebat Augustinus l. 19. contra Faustum: *In nullum quippe nomen religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquorum signaculorum aut sacramentorum visibilium consortio colligantur*. 2. Id ex ipsa naturæ inclinatione et impulsu deducit S. Th. quo ad animi sensa exprimenda signis externis etiam erga Deum utitur. Itaque omni ætate et ab omnibus gentibus quibus fuit alicujus religionis sensus ab ipsa natura inditus, oblata semper sacrificia fuere. Quare August. l. X. de Civ. Dei c. 4. *Quam porro antiquus sit in sacrificando Dei cultus, duo illi fratres Cain et Abel satis indicant.* Dum ergo hæretici hoc sacrificium explodunt, ipsi et naturæ, et naturalibus divinisque juribus adversantur.

CCVI. Nec refert, quod Deus in Scripturis testetur,

se rejicere ac detestari externa judæorum sacrificia: duplici enim de causa id fit, 1. quia sine interiori pietate id præstabant, et quod ob avaritiam victimas imperfectas contra legis præscriptum non rarò offerebant. 2. Quia prænuntiabatur victimæ purissimæ substitutio et immaculatæ, quæ in Nova lege iis omnibus sacrificiis subroganda erat. At minimè actus religionis rejiciebatur illis expressus, et quæ Deus ipse præceperat. Quapropter, juxta Tridentinum Sess. XXII c. 1. quadruplici ex causa Missæ Sacrificium a Christo D. institutum est. Et prima ducitur a necessitate sacrificii exterioris. 2. Petitur ob imperfectione sacrificiorum legis naturæ et scriptæ, quæ Legis Evangelicæ perfectioni non conveniunt. 3. A grata memoria Passionis et Mortis Christi, quæ inter fideles semper vigere debet. 4. Est, ut merita ac dona, quæ nobis Christus promeruit, impetrentur. Hinc sequitur, Christi Religionem per Sacrificium Missæ tantum supra Legis Veteris Religionem eminere, quantum Veritas figuram, et sol umbram præcellit.

CCVII. Sed hìc quæstio exoritur, cur hoc Sacrificium fuerit Missæ vocabulo insignitum? Et respondetur, id sensim primis Ecclesiæ sæculis eo nomine fuisse distinctum, eo quod ante illam Liturgiæ partem in qua Eucharistia conficiebatur, dimissio, seu missio daretur catechumenis cæterisque infidelibus, qui ad lectionem sacrorum librorum, et ad sermonem aut Homiliam audiendam convenissent. Nam *missio* etiam *missa* dicebatur, ut *remissio* dicebatur *remissa*, sicut habetur apud Svetonium in *Caligula* c. 25. et apud Tertullianum et Cyprianum, ut et in Lege 3. Cod. Theodosiani *de proximis*, et legitur quoque in numis Galbæ, Nervæ

et aliorum Impp. Ita etiam *confessio*, *confessa* dicebatur. Hæc dimissio facta catechumenis ante sacrificii celebrationem ea ipsa voce memoratur a S. Augustino Serm. 237. cum ait: *Post sermonem fit missa catechumenis*: nempe habito sermone ad populum ante sacrificium datur dimissio catechumenis. Missæ nomine igitur ea significatur Liturgiæ pars, a qua fit missio, seu dimittuntur qui Baptismo non sunt initiati, et a qua omnes expelluntur indigni. Non defuere tamen qui ex hebræo eam vocem mutuati sunt, ut Baronius, Reuchlinus, Pamelius, Genebrardus, Munsterus, qui cum Deuter. XVI. 10. invenerint vocem *Missat*, quæ *spontaneam oblationem* significat, *mysterium*, *rem sacram*, atque arcanam, hinc eam vocem ad Ecclesiam venisse arbitrabantur. Quare principes catholici in *Censura confessionis Augustanæ* ex eo nomine colligebant, Missam verum esse Sacrificium. At ea opinio vera non demonstratur, cum neque apud Syros, nec apud Græcos, qui alia hebraica nomina retinuerunt ab Apostolis adhibita, ea vox occurrat. Alii a Græca lingua ejus vocis arcessunt originem, et ortam putant a voce μυησις, *initiatio*, *mysterium*, sive a μυεω, *doceo*, *instituo*; sed et hæc opinio levissimæ innititur conjecturæ, ac ratione ipsa scribendi refellitur, nullibi enim *Myssam* aut *Musam* scriptum reperire est. Rectius itaque alii huic voci latinam assignant originem, et deducunt a verbo *mittere*, non tamen eodem in sensu: nam juxta quosdam dicta ita esset, quod sacrificium ex donis a populo oblatis et missis fieret: juxta alios, quia sacerdos per Angelum preces ad Deum mittit, aut quia est Christus hostia nobis a Deo missa: demum juxta alios, quia, ut diximus,

ante mysteriorum celebrationem catechumeni dimittebantur; quæ est genuina hujus vocis origo. Duplex enim Missæ pars olim distinguebatur: prior ad Offertorium usque, et Missa dicebatur catechumenorum et pœnitentium, quibus huic parti interesse licebat, qua expleta dimittebantur, seu, ut ait Augustinus, fiebat missa catechumenis Diacono altiori voce clamante « Exite catechumeni, pœnitentes, indigni ». Altera pars dicebatur Missa fidelium, qua peracta et ipsi dimittuntur, dicente Diacono « Ita, missa est » nempe datur dimissio, seu licet abire. Hinc neque olim, neque modo in diebus jejunii ea verba dicuntur, ut non fiat dimissio, sed quasi detineatur populus ut diutius oret, ut ex Augustino habemus serm. 41. de temp. Ambr Ep. 20. Gregorio etc.

CCVIII. Hæc autem latius pertractavimus, eo quod nostris etiam temporibus eruditus quidam novam etymologiam, inauditam ac prorsus ridiculam hariolatus sit ea de re, quam et sub oculis omnium vulgavit, quasi tot præstantes viri, qui datam etymologiam probarunt et antiquorum auctoritate ostenderunt, cæcutierint in meridie qui suam commentitiam nominis hujus significationem non perviderint, uti sunt Bellarminus, Card. Bona, Casaubonus, Scaliger, Binghamus, Dom. Macri, Carolus Du Cangius *in Glossario*, Benedictus XIV. *De Sacrif. Missæ*, Jo. Laur. Berti, aliique, quos propterea hic lapidus etymologiarum inventor insolentissime *Theologastros* vocat. Sed audiamus quid magni proferat hic tanto promissor hiatu. Hic non erubuit contra universalem eruditorum sententiam Missæ etymologiam ineptè deducere a voce *Mensa*; cujus loco in medio ævo dictum sit *mesa*, inde factum *messa*, ac tandem *missa* dictum ac

scriptum sit. Nonne inter hariolationes hujus vocis, quas hic auctor exprobrat eruditis, hanc suam potiori jure poterat accensere ? Cui certè illud appingi meritò queat » Sutor non ultra crepidas » Nam hæc nostra sententia non vanis conjecturis, non aridis innititur etymologiis, sed auctoritate tum veterum, tum recentiorum doctissimorum. Recentiorum nonnullos jam nominavimus : inter veteres autem recensentur Isidorus Hispalen. Victorinus, Avitus Viennen. Alcuinus, Honoratus Augustodun. Luithprandus, S. Thomas, qui et alii hanc etymologiam dedere ex veteri traditione, et ex more sacra faciendi, tum auctoritate Augustini, Cassiani, Ambrosii et S. Gregorii Magni. Et quidem Isidorus l. 6. Originum c. 6. scribit : *Missa tempore sacrificii est quando catechumeni foras mittuntur, clamante Levita : si quis catechumenus remansit, exeat foras ; et inde missa, quia sacramentis Altaris interesse non possunt*. Cassianus verò sæpe utitur hoc vocabulo pro *dimissione*. In regula quoque S. Benedicti vox *missa* pro *dimissione* usurpatur. Victorinus l. 2. de Eccl. Off. c. 34. ait : *Dicit Diaconus : Ite, missa est : quasi, revertimini ad propria : ab hac missione sive dimissione, Missam dicunt appellari*. Formula igitur « Ite, missa est » idem prorsus significat ac « missio vobis indicitur » ; non ut dictus Etymologiaster scribit « Ite, mensa finita est » Avitus quoque Vienn. scribit : Epist. 1. *In Ecclesiis, Palatiisque sive Prætoriis missa fieri pronuntiatur, cum populus ab observatione dimittitur*. Missas etiam indictas et pronuntiatas in Palatiis testatur Luithprandus lib. 5. c. 9. Idem habetur in Chronico Alexandrino ad annum v. Justiniani, pag. 780. Και εδωκεν ευθεως μισσας

τοις του παλατιου, και λεγει συγκλητικοις: Απελθετε εκαστος φυλαξειν τον οικον. Ita in significatu missionis adhibetur et exponitur a Gaufrido Epist. 34. Quare missis etymologiis omnibus quæ ab ingeniosis viris excogitari possent, concludendum cum erudito Du-Cangio non esse a constanti ac recepta sententia discedendum, Missam dictam a missa seu dimissione ab ea sacræ Liturgiæ parte, in qua finita concione et Lectione exire catechumeni jubebantur formula jam recensita. Cum in aliquibus Liturgiis, iis finitis, *missæ* seu αφεσεις fierent, inde accidit, ut Missa frequenter pro quolibet sacro officio antiquitus sumeretur, præcipue verò pro Sacrificio Eucharistico, ut ex laudatis Patribus constat. Verum pluribus nominibus ab iis Missæ sacrificium appellatum est, ex. g. Doxologia, Liturgia, Anaphora, seu Oblatio, Synaxis seu congregatio et Collecta. Item Μυσταγωγια, seu *disciplina sacrorum* a Nazianzeno, Θυσια, *Sacrificium*, et Προσφορα, *Oblatio*. A S. Ignatio M. verò dicitur Ἱερουργια, *Sacrorum munus*, ac Τελετη. *Cæremonia*.

CCIX. Modo interim statuendum est, Eucharistiam verum esse ac propriè dictum Novæ Legis Sacrificium. Nam id 1. ostenditur ex eo quod Christus Psal CIX. et ad Hebr. V. dicatur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui Panem et Vinum obtulit, cum esset Sacerdos Dei Altissimi, ut Gen. XIV. 2. Ex quo de Eucharistia dicatur a Domino « Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur, vel datur: Hic est calix, Novum Testamentum in Sanguine meo, quod pro vobis funditur », ut habet græcus textus. *Dari autem et fundi* oblationem significat, juxta Apost. ad Gal. 1.

Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris: sive, qui seipsum obtulit. 3. Hoc ipsum evincitur ex Malachiæ Vaticinio c. 1. ubi de Nova Lege ait Dominus: *Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur Nomini meo oblatio munda*. De quo vaticinio scribit S. Justinus M. in Dial. cum Tryph. n. 41. *De iis quæ in omni loco a nobis offeruntur sacrificiis, hoc est de Pane Eucharistiæ, et de calice similiter Eucharistiæ, jam tum prædicit Malachias.* Revera vocabula hebraica *Minchah meora*, quæ a latino interprete redduntur, *Oblatio munda*, externum aliquod significant sacrificium, ac præsertim Oblationem similæ et molitæ farinæ; quod et referunt græca verba *Θυσια καϑαρα*, *Sacrificium purum*. Quid? non ne his concordant Rabbini veteres? Ita R. Pinhas filius Jair qui in c. xiv. Gen. inquit: « Tempore Messiæ omnia sacrificia cessabunt, et sacrificium panis et vini nunquam cessabit, sicut dictum est ». Sed panem ac vinum transmutandum esse in corpus et sanguinem Messiæ aperte pronuntiant R. Cahanan in c. 49. Gen. et R. Johai in c. 28. Numer. qui scribunt « In sacrificio vini Sanguis et caro Messiæ, et eadem erunt in pane » Consulantur Raim. Martini, et Pet. Galatinus. 4. Apost. 1. Cor. x. Oblationem fidelium opponit gentilium sacrificiis illis verbis: *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo: nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum*. Et ad Hebr. xiii. 10. ait: *Habemus Altare de quo edere non habent potestatem, qui Tabernaculo deserviunt*. At ubi Altare, ibi vi-

ctima; et ubi victima, ibi sacrificium: Revera in græco legitur: Εχομεν θυσιαστηριον, *Habemus Aram victimarum*. Actorum verò XIII. 2. de Apostolis dicitur: *Ministrantibus autem illis Domino:* gr. Λειτουργουντων δε αυτων τω Κυριω, quæ verba, *sacrificantibus ipsis*, esse exponenda nemo non sentit. Demum hoc sacrificium describitur in Apocalypsi c. V. ubi Joannes vidit *in medio seniorum Agnum stantem tamquam occisum: Και ειδον... εν μεσω των πρεσβυτερων Αρνιον εστηκος ως εσφαγμενον:* nempe in statu victimæ mactatæ. Presbyteri autem illi clamabant: *Και εποιησας ἡμας τω Θεω ἡμων βασιλεις, και ἱερεις, Et fecisti nos Deo nostro reges et sacerdotes: και βασιλευσομεν επι της γης, et regnabimus super terram*: En ergo Victima: en rectores et sacerdotes, qui super terram sacerdotio funguntur, semperque Deo ministrabunt. 5. Denique his omnibus accedit Patrum locupletissima auctoritas. Ex. g. Irenæus l. 4. c. 17. postquam Malachiæ vaticinium explicuerat, addit: *Itaque Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, et acceptum est ei*. Et antea dixerat: *Novam Christus docuit Oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo*. Videantur Cyprianus Epist. 63. et 66. Chryost. Hom. 33. et 41. in 1. ad Cor. Augustinus l. de cura pro mortuis c. 1. et in Enchir c. 109.

CCX. Sensere heterodoxi hujus argumenti pondus ex traditione desumpti; et si quis specimen cuperet habere responsionum quibus utebantur ut illud declinarent; en ex. causa qua via Lutherus respondebat l. *de abrogan-*

da Missa privata: inquiebat ille furiosus homo « Solent jactare Patres, Patres: Decreta, Decreta: Ecclesia, Ecclesia, quoties nos a verbis Dei in verba hominum pertrahere conantur ... nos quoque hîc dicimus, et multo serius clamamus: Evangelium, Evangelium: Christus, Christus ». Quasi hic homo insanus demonstrasset, Evangelii intelligentiam ipsi a Christo post quindecim sæcula reservatam fuisse; ac ejus verba inepta et sacrilega non essent potius hominis perditissimi, qui puram Christi doctrinam ab ipso Ecclesiæ traditam et commendatam pervertere ausus sit. O impudentiam non ferendam! Sed et in l. *adversus Angliæ regem* his petulantissimis declamationibus Ecclesiæ universæ Traditionem insectabatur. « Ultimo dicta Patrum inducit pro Sacrificio Missarum statuendo, et ridet meam stultitiam, qui solus velim sapere pro omnibus. Huic dico, confirmari hoc nomine meam sententiam; nam hoc est quod dico, thomisticos asinos nihil habere, quod producant, nisi multitudinem hominum et antiquum usum: ego verò adversus dicta Patrum, hominum, Angelorum, dæmonum pono non antiquum usum, non multitudinem hominum, sed Majestatis æternæ verbum evangelicum « Atque ita blasphemando semper *principium petit et versat pistillum*; atque his manifestis paralogismis apud imperitum aut corruptum vulgus, Deo hominum superbiam ita plectente, loco solidarum rationum plus valuit, ut avitam convelleret Religionem. Quanto sapientius Leibnitius ratiocinabatur (licet lutheranæ factioni addictus) in laudato *Systemate Theol.* pag. 284. « Non video quid hîc desit ad veram sacrificii rationem: quidni enim id quod sub symbolis præsens est, Deo offerri pos-

sit, cum... quod sub his in Eucharistia continetur sit omnium rerum pretiosissimum, Deoque offerri dignissimum? Itaque hoc pulcherrimo invento divina benignitas egestatem nostram juvit, ut afferre possimus aliquod munus quod Deus aspernari non possit... Porro Sacrificium hoc ipsa sacra Scriptura comparatione Melchisedeci cum Christo manifestè innuit, ut de jugi Sacrificio Danieli memorato, aliisque locis nihil dicam. Et sane conveniens erat Religionem christianam sine sacrificio non esse... Et verò veteres Patres ita passim interpretantur, et mundam quoque oblationem, de qua Malachias loquitur, jam Justinus martyr, et Irenæus, ut de Augustino et posterioribus nihil dicam, Eucharistiæ accommodarunt. Denique innumera sunt loca SS. Patrum quibus dicitur, Christum quotidie in Sacramento populis immolari, ut ait Augustinus: incruentum sacrificium esse, quando id quod confectum nominamus Corpus et Sanguinem Christi, ut ait Cyrillus: in Pane supersubstantiali simul esse holocaustum et medicinam ut ait Cyprianus, quæque alia passim prostant « En quomodo viri loquuntur scientia et probitate ornati.

CCXI. Hisce non obstantibus Calvinus contra nos declamat, (l. 4 Instit.) Hoc Altaris incruento Sacrificio « intolerabilem contumeliam Christo irrogari », qui una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos, ut ad Hebr. x. atque hinc insulsè deducit « Si Christus in singulis Missis sacrificatur, eum singulis momentis mille in locis crudeliter interfici oportere «. Quæ futilis sanè objectio in fumum abit, si dumtaxat recordemur divini illius mandati: *Hoc facite in meam commemorationem*. Quare insignis potius injuria Christo

infligitur, hoc Sacramentum a Sacrificii gradu deturbando. (*) Apostolus itaque de Sacrificio cruento loquitur, quod fuit in Ara crucis oblatum, et quod cum infiniti valoris sit, non nisi semel offerri debuerat. Hoc autem incruentum Missæ sacrificium non excludit, quod ipse Christus instituit, fierique mandavit, quodque efficaciam totam ab illo cruento sacrificio trahit. Non inde ergo « Christi passio obruitur » ut somniat Calvinus, sed extollitur potius et amplificatur, cum per hoc Sacrificium nobis medium efficacissimum suppeditetur, quo Christi merita ejusque redemptio nobis applicentur, iisque fruamur. Alioquin, ut inquit Canus: « Si Agnus qui tollit peccata mundi sine adjutrice et socia causa i-

(*) Quid si Rousseaujus de sacrificio Missæ rectius senserit quam lutherani et calvinistæ? qui (*Emile* T. 3. p. 134.) Vicarium suum Sabaudum ita profitentem inducit: *Autrefois je disois la Messe avec la légereté qu'on met à la longue aux choses les plus graves quand on les fait trop souvent. Depuis mes nouveaux principes je la célèbre avec plus de vénération. Je me pénètre de la majesté de l'Etre suprême, de sa présence, de l'insuffisance de l'esprit humain, qui conçoit si peu ce qui se rapporte à son Auteur. En songeant que je lui porte les voeux du peuple sous une forme prescrite, je suis avec soin tous les rits: je recite attentivement, je m'applique à n'omettre jamais ni le moindre mot, ni la moindre cérémonie. Quand j'approche du moment de la Consécration je me recueille pour la faire avec toutes les dispositions que exigent l'Eglise et la grandeur du Sacrement: je tâche d'anéantir ma raison devant la suprême Intelligence. Je me dis: Qui es-tu pour mesurer le puissance infinie? Je prononce avec respect les mots Sacramentaux, et je donne à leur effet toute la foi qui dépend de moi. Quoi qu'il en soit de ce mystère inconcevable; je ne crains pas qu'au jour du jugement je sois puni pour l'avoir jamais profané dans mon coeur* Utinam hæretici et increduli ita semper locuti essent.

pse per se expiavit nostra delicta, baptisma tollatur, pœnitentia absit, sacerdotia sileant, ministeria facessant, atque adeo omne salutis nostræ et sacramentum removeatur, et instrumentum . . . quin etiam, si ita libet, quia oravit pro nobis Christus, non oremus: quia jejunavit, non jejunemus: quia lacrymatus est, non ploremus . . . Sicut ergo compatimur, ut ejus passionis participes simus; ita etiam offerimus, ut oblationis ipsius partem capiamus ». Horum ergo mediorum usus ex parte nostra requiritur; ut si medicus medicinam paret qua possint quicumque morbi etiam in futurum sanari, ait S. Thomas 3. p q. 49. a. 1. semper opus est, ut qui sanari cupiunt, ea medicina uti causa utantur; idem ergo et in casu nostro requiritur. Cum autem sublime hoc argumentum amplissimum sit, hæc pro re nostra dicta sufficient; et quæ hic desunt facilè ex insignium Auctorum operibus quis sibi comparabit, ut ex Tournelyo, Bertio; Gazzaniga, aliisque amplioribus.

CAPUT X.

DE POENITENTIÆ SACRAMENTO.

CCXII. Post Montanistas et Novatianos, qui quorundam criminum remittendorum potestatem in Ecclesia esse negarunt, a nemine Pœnitentiæ Sacramentum impugnatum fuisse constat ad sæculum usque XVI. quo illa colluvies errorum et blasphemiarum ab impudentissimis omnium hæreticorum lutheranis et calvinistis profluxit; quanquam hac in parte ancipites lutherani et inconstantes fuerint, audaciusque Sacramen-

tarii se gesserint Zuinglio et Calvino ducibus, contendentes Pœnitentiam ne quidem impropriè Sacramentum vocari posse. Duplici autem ratione pœnitentia considerari solet: ut nempe est virtus, et ut est Sacramentum, ad quod pœnitentiæ virtus dispositio est. Expedit ergo ut sub utroque aspectu consideretur. Pœnitentia itaque est (quam græci μετανοιαν, μεταμελιαν, et επιτιμιον vocant) definitur a S. Thoma 3. p. q. 85 « displicentia seu reprobatio peccati præteriti cum intentione removendi sequelam ipsius, scilicet offensam Dei et reatum pœnæ » Hanc pœnitentiam ita descriptam universis hominibus, qui mortali aliquo peccato se inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam fuisse necessariam definivit Tridentina Synodus Sess. XIV. cap. 1. quod novatores protervè inficiari ausi sunt, cum volunt, pœnitentiam in nullo a *resipiscentia* distingui, seu a malæ vitæ mutatione; ut odium culpæ ac satisfactionem minimè includat.

CCXIII. Verum Pœnitentiæ virtutem ad peccata delenda non exigere tantummodo resipiscentiam seu vitæ mutationem; at eorundem etiam peccatorum detestationem, odium, et vindictam, atque hunc characterem veram pœnitentiam habere, 1. Sacræ Literæ apertè testantur: ut cum Job. c. ult. ajebat: *Ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere*. Et Joelis c. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu*. Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies*. Et Lucæ X. de Tyriis dicitur: *Olim in cinere et cilicio pœnitentiam egissent*. Mirum est hæreticos hæc et alia

loca plura non vidisse, non considerasse. Hinc Patres pœnitentiam passim appellant *baptismum laboriosum.* Sed et ipsa ratio id ostendit: Nec enim vitæ veteris in meliorem commutatio sine odio anteactæ vitæ intelligi posset. An ne peccator se unquam ad meliorem frugem convertit, nisi cum priorem vitam uti malam Deique voluntati adversam detestatur? Desipiunt ergo hæretici cum adversus manifestam hanc veritatem opponunt, pœnitentiæ nomen in Scripturis non reperiri, eo quod in græco textu per vocem μετανοιαν pœnitentia exprimatur, quæ nihil præter resipiscentiam seu mentis seu consilii mutationem significat. Quare Ambrosius ait: *Vera pœnitentia, cessare a peccato*. Quod et Lactantius affirmabat l. 6 c. 13. ut proptcrea non importet odium et detestationem anteactæ vitæ. Quæ sanè puerilia sunt: Non enim Religionisdogmata grammaticalibus argumentis, aut vocum etymologiis definienda sunt, sed ex Patrum scitis et ex doctrina Ecclesiæ sunt determinanda, quæ non solam vitæ mutationem exigit, sed odium etiam et detestationem culparum, nec non congruam pro iis divinæ justitiæ satisfactionem. Itaque Isidorus pœnitentiam a pœna et a puniendo dictam vult, *dum ipse homo punit pænitendo, quod malè admisit.* Ambrosius itaque cessare a peccato ponit, ut effectum et signum veræ pœnitentiæ; non quod in eo tantùm absque cordis contritione consistat. Sed Lactantius ibid. c. 24. postquam notavit μετανοιαν, *metanœam* græcè, posse latinè *resipiscentiam* dici, addit: *resipiscit enim atque mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiæ, et confirmat animum ad rectius vivendum* etc. Ausonius quoque

Metanœan facti dolorem ac pœnas exigere ajebat, ut scriptores omnes sive sacri sive profani, ut de hac re dicere plura non vacet.

CCXIV. At Pœnitentia non modo est virtus, justitiæque virtus, sed in Catholica Ecclesia est etiam Sacramentum quod a græcis Μετανοιας μυστηριον, *metanœæ mysterium* dicitur; illudque modo adversus hæreticos demonstrandum est, ac propterea statuendum « Quod pœnitentia verum sit ac proprium Novæ legis Sacramentum a Christo Domino institutum ad delenda peccata post Baptismum commissa » Nam hoc salutis Sacramentum, quo ablato peccatores in desperationem adigerentur, iis verbis fuisse a Christo institutum docet Synodus Trid. cum a mortuis redivivus in Discipulos insufflavit eisque dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt*. (Joan. XX.): quibus verbis allatis Sess. XIV. can. 3. definit Synodus: *Si quis dixerit, illa Domini Salvatoris verba . . . non esse intelligenda de potestate dimittendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit . . . anathema sit*. Revera hanc potestatem se Apostolis eorundemque successoribus daturum Dominus pollicitus fuerat Matth. XVI. et XVIII. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælis*. Præterea hæc fuit semper Patrum doctrina, ut Origenis Hom. 2, in Levit. *Non erubescit peccator Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, et quærere medicinam*. Tertullianus autem *in Scorpiaco* c. X. ait: *Si adhuc clausum putas cœlum, memento claves ejus hic Dominum Petro et per eum*

Ecclesiæ reliquisse. Cyprianus verò *l. de lapsis* c. 12 inquit: *Confiteantur singuli, dum satisfactio et remissio facta per Sacerdotes apud Deum valet*. Ita et alibi, ut Epist. 54 ad Cornelium Papam: quod cæteri Patres docent Hilarius, Chrysostomus, Ambrosius qui l. 2. de Pœnit. scribit: *Si vis justificari, fatere delictum tuum: solvit enim criminum nexus verecunda confessio*. Cum autem primis Ecclesiæ sæculis non tantum pro publicis criminibus, sed etiam pro occultis præter secretam in usu esset aliquando publica confessio et Absolutio, gravioribus de causis hanc submovere S. Leo Magnus decrevit; quare Epist. 136. Editionis Lugdun. scribit: *Cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta ... removeatur tam improbabilis consuetudo ... Sufficit enim illa Confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit*. Ita etiam Cpoli tempore Nectarii Patriarchæ publicum dumtaxat Pœnitentiarium, non etiam privatum cui secretò confiterentur fideles, ablatum fuisse pluribus ostendunt Bellarminus, et alii eruditi. Quæ omnia et veritatem hujus Sacramenti ostendunt, et modum illud administrandi, ut hinc Tridentinum definiat eadem Sess. can. 6. *Si quis hanc Confessionem negaverit vel esse institutam a Domino, vel ad salutem necessariam esse jure divino, iis scilicet qui post Baptismum lapsi sunt, anathema sit*.

CCXV. Instat Calvinus ac Pœnitentiam non vult esse Sacramentum a Baptismo distinctum, nec veretur S. Hieronymum accusare, quod ad Demetriadem scripserit, *Pœnitentiam esse secundam post naufragium ta-*

bulam. Cui Lutherus consensit, qui *de Capt. Babyl.* scribit, periculosum imo falsum esse id opinari, nempe per peccatum excidisse vim baptismi et Navim hanc esse illisam: unde uterque hæresiarcha ad peccata in renatis delenda nullum agnoscebat Sacramentum, sed fidem solam ajebat sufficere cum recordatione suscepti Baptismatis. Verum illa metaphora usi sunt etiam Tertullianus et Ambrosius, desumpta forte ex 1. Petri c. 3. ubi Baptismus comparatur Arcæ Noe: In metaphoris autem non est omnis similitudo quærenda. Et quidem si in peccatoribus nullos Baptismi effectus Patres permanere agnovissent, an ne eos censuissent Sacramenti pœnitentiæ capaces? Dicere ergo intelligebant, secundum esse remedium post abjectam Baptismi gratiam ut justificatio impetretur, illudque laboriosum, sicut naufragus cum labore tabulæ inhærens ad littus securè pertingit. Utrumque verò Sacramentum a Patribus distinctum haberi, ipsi ostendunt, ut Hieron. *Dial.* 1. *Cont. Pelag.* ubi affirmat: *Duobus Sacramentis maximè nobis Sanguinem Christi applicari, in Baptismate scilicet et in Pœnitentia quæ imitatur Baptismi gratiam*. Nempe quia in Pœnitentia non fit illa plena pœnæ et culpæ remissio. Ita August. *De adulterinis conjugiis* l. 2. c. 16. ait: *Si a catechumeno factum est homicidium, baptismate abluitur: si a baptizato pœnitentia et reconciliatione sanatur.* Idem declarat S. Cyrillus Alexandr. l. XII. in Jo. Atque hanc esse totius Ecclesiæ Doctrinam fuse explicat ac ostendit Synodus Trid. Ses. XIV. cap. 2. et Can. 2 ubi et rectè Pœnitentiam appellari secundam post Baptismum Tabulam pronuntiat. Quod et Græci perpetuò professi sunt. Et quidem mi-

rari subit, non vidisse Novatores, utrumque Sacramentum diversis ritibus, diversisque verbis administrari, unumque iterari non posse ut de altero fit, modo quo de Eucharistia fieri concedunt; ut non alia de causa hæc duo Sacramenta admittant. Pœnitentia itaque vocata antiquitus a latinis *Manuum impositio*, eo quod per manus impositionem pœnitentes a Sacerdotibus Ecclesiæ reconciliabantur; et a Græcis appellatà *Exomologesis* sive *Confessio*, jure a catholicis definiri solet « Sacramentum novæ Legis a Christo Domino institutum ad remittenda peccata post Baptismum commissa ».

CCXVI. Contra hæc adeo clara et aperta opponebant heterodoxi 1. illud Marci 2. *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus*, ut ideo hæc potestas hominibus collata non sit. 2. Apost. ad Hebr. x. ait: *Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati... et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam... voluntariè enim peccantibus post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Non superest ergo hoc alterum Sacramentum. At unde noverunt adversarii hæc se rectè accipere? Nam ad 1. certum est, quod vi proprià nonnisi Deus relaxare peccata potest, at sicuti Dei Ministri possunt etiam homines; *quod enim per suos Sacerdotes facit Christus, sua potestas est*, ajebat S. Pacianus: itaque Apost. 2. Cor. c. 2. Nomine et auctoritate Christi absolvisse affirmat, *Donavi in persona Christi*: nec audiendus Erasmus, qui ea verba Εν προσωπῳ Χριστου, vertebat « in conspectu Christi » quod minus significaret, et contra omnium auctoritatem esset. Quantum ad 2. Id nimis probaret; nam sequeretur non solum Ecclesiæ hanc non collatam potestatem;

sed ne quidem contritos reconciliari Deo posse; quod falsum adversarii fatentur. Itaque juxta Chrysost. et communem sententiam Apostolus ibi loquitur de Baptismo, cujus perfecta renovatio iterari non potest; at ibi sermo non fit de reconciliatione per pœnitentiam. Alii id intelligunt de impossibilitate morali, seu de magna difficultate; cum constet Apostolum illum incestuosum corinthium solvisse a peccato, quod nec inter gentes audiebatur. In verbis autem quæ sequuntur, loquitur de apostatis a fide, et ad judaismum redeuntibus, quibus nulla hostia, nulla spes veniæ relinquitur, nisi ad Ecclesiam revertantur. Vehementer autem errant, cum inutile hoc Sacramentum traducunt, eo quod per caritatem et contritionem remittantur peccata, an aliquod superfluum Christus Ecclesiæ demandasset? Nam pauci ea via, et rarò, nec sine Sacramenti suscipiendi voto veniam obtinent. Ut enim hæc impetretur venia, necessarium est Pœnitentiæ Sacramentum vel in re, vel in voto, ut semper sensit Ecclesia. Nedum ergo hoc inutile est, quin potius mirificum est divinæ pietatis signum, ac nobis maximè salutare. Futile est etiam quod ajunt, Baptisma ad salutem sufficere, eo quod ad Tit. 3. dicatur: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis:* et Marci XVI. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit salvus erit.* Nam aperta res est, quod id significet, si quis perseveraverit in justitia, aut si lapsus peccata per pœnitentiam diluerit. Sed hujus Sacramenti dotes adeo præclaræ sunt, ut ipsum Leibnitium lutheranum in admirationem rapuerint, qui in laudato *Systemate Theol.* (Sup. n. CXCIV. in nota) plura habet in ejus commendationem, ut pag. 270. « Totum autem hoc institutum divina sapien-

tia dignum esse negari non potest; et si quid aliud, hoc certe in christiana Religione praeclarum et laudabile est, quod et Sinenses et Japonenses sunt admirati: nam et a peccatis multos deterret confitendi necessitas, eos maximè qui nondum obdurati sunt, et lapsis magnam consolationem praestat. » Videantur cætera.

CCXVII. Non autem mirum videatur, si de Pœnitentiæ Sacramento Patres trium priorum sæculorum non multa locuti sint. Pluribus quippe de causis sub gentilium principibus hæc potestas occultanda fuerat, ac dispositiones ad Baptismum clarius declarandæ. At Novatianorum hæresi divulgata, Patres tunc apertè locuti sunt. Ajunt quidam, nullum haberi in Pœnitentia elementum sensibile juxta vulgatum Augustini dictum « Accedit verbum ad elementum et fit Sacramentum « Sed advertere debent, elementi nomine Augustinum intellexisse quidquid externum et sensibile est. Nam juxta S. Th. 3. p. q. 84. a. 1. in iis Sacramentis, quæ habent effectum correspondentem humanis actibus, actus ipsos humanos sensibiles esse loco materiæ, ut accidit in Pœnitentia et Matrimonio. Interim adversus Novatianos veteres et quosdam recentiores statuendum est: Nullum esse prorsus peccatum, quod Pœnitentiæ Sacramento deleri non possit. Id enim Patres constanter docuere. Ipse Tertullianus antequam ad Montanistas deficeret l. de Pœniten. c. 4 ajebat: *Omnibus ergo delictis ... Deus veniam per pœnitentiam spopondit*. Et Ambr. l. de Pœnit. c. 2. *Dominus nullum crimen excepit, qui peccata donavit omnia*. Et August. l. de Agone Christiano c. 31. *Nec eos audiamus, qui negant, Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere*. Sed quomodo in-

telligenda erunt quædam Scripturarum loca, ut Hebr. XII. 17. *Esau non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisivisset eam*. Et Matth. XII. *Spiritus blasphemiæ non remittetur ... Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum non remittetur ei neque in hoc sæculo neque in futuro*. Respondetur, genuinum prioris testimonii sensum esse, non fuisse penes Esau ut Isaacum patrem moveret ad pœnitendum benedictionis quam impertierat Jacob, etiamsi cum lacrymis id postulasset. Alia vero similia, quæ in Scripturis non rarò occurrunt, sunt generatim intelligenda vel de pœnitentia difficili, vel de simulata et ficta pœnitentia, vel de impœnitentia finali. Quod attinet ad Matthæi textum, si de peccato prorsus irremissibili intelligeretur, certè nimis probaret; vellet enim nec ab ipso Deo posse remitti, nec a Deo veniam impetrari posse, quod dici nequit: Respondetur ergo, locum esse obscurum; sed communior sententia est, cum blasphemia in Spiritum sanctum sit ea impietas, qua manifesta Spiritus sancti opera, seu Christi miracula et virtutes, diabolo tribuebantur, (quæ ut ex contextu liquet, et ex communi Patrum sententia speciali modo Spiritui sancto tribui debent), hinc est crimen horrendum, cum non ex ignorantia et infirmitate, sed ex malitia oriatur et ex perfidia, ac Spiritum sanctum cum diabolo comparet. Hinc est, quod rarò admodum ac difficillimè dimittatur, ut dictum sit, non remitti *neque in hoc sæculo neque in futuro*, quando nec purgatorii pœnis expiari poterit; quod non absolutam in hoc sæculo impossibilitatem exprimit, sed maximam juxta Chrysostomum difficultatem. Eo gravissimo crimine constringuntur præcipuè incredu-

li nostrorum temporum, qui sanctissimam Religionem tot divinitatis signis communitam, aut humanum inventum, aut quasi vanam superstitionem traducunt. Quare caveant sibi, ne in terribilem hanc sententiam incurrant.

CCXVIII. Quantum ad materiam et formam hujus Sacramenti, Bonos pœnitentis actus, seu confessionem, contritionem, et satisfactionem esse hujus Sacramenti materiam: Absolutionem vero formam constituere, id omni vacat dubio, definiente Tridentina Synodo Sess. xiv. can, 4. *Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, confessionem et satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur .... anathema sit*. Ubi cum dicitur, quasi materia, significatur non esse quid physicum, ut in Baptismo est aqua, sed signa tantum externa: Verum confessio culparum, et quæ auricularis dicitur, heterodoxorum dicteria excitavit: licet enim Lutherus et Calvinus modo utilem ac necessariam hanc confessionem dixerint; modo cruentissimam carnificinam appellaverint, tyrannidem, et conscientiarum laqueum, multisque nominibus Ecclesiæ noxiam, ut has contradictiones concordare difficile sit; Dallæus tamen hanc omni ex parte impugnare est aggressus, quem plures copiosissimè refutarunt, inter quos Nat. Alexander Dissert, xiv. in Sæc. xiii. Sed penitus dissoluta et confracta sophismata consarcinare rursus tentavit Eybelius Vindobon. libello suo *de Auriculari confessione*, quem diris devovit simulque invictissime refutavit Pius vi. Pont. Max. suis Literis: *Mediator Dei et Hominum*, datis xi. Novemb. an. 1784. Et jure qui-

dem ac merito cum ex Scripturis et ex perpetua Traditione Confessionis oralis necessitas ac divinum præceptum constet luculentissimè, ut propterea Triden. Sess. XIV. Cap. 5. *institutam fuisse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam* docuerit, et Can. 6. anathema dixerit, *cuicumque negaverit confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam ex jure divino*: aut dixerit, *modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, aut esse humanum inventum*. Quid ausa non est hæretica impietas et pervicacia! Sed non pigeat hæreticos Leibnitium audire asseclam suum loco citato, ubi postquam de Confessione publica disseruerat pag. 272. ait: « Ut infirmitati nostræ consuleret, placuit Deo ut per Ecclesiam ostenderetur fidelibus, sufficere confessionem privatam apud Sacerdotem, adhibito silentii sigillo, quo magis confessio facta ab omni humano respectu sequestraretur. Neque ideo minus juris divini erit Confessio.... nam multa Deus circa Sacramentorum dispensationem Ecclesiæ suæ statuenda ordinandaque reliquit, non quod Ecclesia facere directè possit, ut aliquid divini juris sit, sed quod Deus ipse conditiones quasdam et circumstantias eorum quæ Divini juris sunt, ex Ecclesiæ dispositione suspendit... quibus legibus a confitente temere neglectis, utique etiam ob peccatum mortale novum atque adeo impœnitentiam, irrita absolutio esset. « Denique notandum, neque hebræos pœnitentiæ ritu fuisse destitutos, ut Jo. Morinus ostendit, eumque describit

l. 9. de Pœnit. c. 34. ex libris rabbinicis, quem morem peccata confitendi sua in decem diebus Expiationum exercebant; hinc ibid. canones etiam addit pœnitentiales ab judæis sancitos.

CAPUT XI.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

CCXIX. Nemo ante Lutheranos et Calvinistas inter tot præteritorum sæculorum hæreticos inventus est, qui Extremæ Unctionis Sacramentum e numero sacrorum Novæ Legis Mysteriorum expunxerit. Primus itaque Lutherus (*De Capt. Babyl.*) Catholicos redarguere non est veritus, quasi non rectè Jacobi Apost. verba acceperint, cum de Infirmorum unctione locutus est. Calvinus autem ad dicteria etiam et ad convincia impio suo more processit, cum proterva fronte l. 4. Inst. c. 19. ait: « fictitium Sacramentum est extrema Unctio, et sine fructu Apostolum referre volunt ». Hos hæresiarchas secutus est Moshemius aliique protestantes, quorum audacia meritò castiganda est, qui non ratione ulla, non aliqua suffulti auctoritate; sed malo animo et odio quæcumque insectandi, quæ catholica Ecclesia colit atque amplectitur, furore insano adoriuntur. Hoc itaque Sacramentum *Extrema Unctio, Oleum sanctum, Oleum infirmorum* a latinis appellatum: a græcis verò Αγιον Ελαιον, *Sanctum Oleum*, autem etiam Ευχελαιον, seu *Oratio Olei*, nempe unctioni adjuncta, dictum, definiri solet » *Sacramentum Novæ Legis homini ægro-*

tanti ad incommoda perferenda auxilia specialia conferens, peccata et peccatorum reliquias abstergens, ipsamque corporis, ubi animæ saluti expediens fuerit, sanitatem restituens.

CCXX. Extremam itaque Unctionem verum esse ac propriè dictum Sacramentum, pluribus ostenditur; nam 1. iis notis et characteribus illud S. Jacobus distinguit Cap. v. ut nonnisi vero Sacramento convenire possint; ait enim: *Infirmatur quis in vobis, inducat* (seu advocet, ut habet gr. tex.) *Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit remittentur ei*. Habemus hîc ritum sacrum in re sensibili positum ac promissioni gratiæ conjunctum, Christi Domini nomine et auctoritate usurpatum a Sacerdotibus Ecclesiæ, quo detur ægrotis sanitas animæ et corporis. Quid amplius est opus ad Sacramenti rationem? 2. Nec minus certa est ea de re traditio, De hoc enim Sacramento mentio fit apud Patres vetustiores Origenem, Chrysostomum, Innocentium I. Cyrillum Alex. Augustinum, Gregorium M. quibus accedit irrefragabilis Conciliorum auctoritas Florentini ac Tridentini; nec non perpetuus Ecclesiæ Occidentalis ac Orientalis usus continuata serie perductus ab Apostolicis usque temporibus. Origenes itaque scribit Hom. 2. in Lev. *Est autem septima per pœnitentiam remissio peccatorum . . . in qua impletur et illud quod Apostolus dicit: si quis infirmatur, vocet presbyteros et imponant ei manus, ungentes eum Oleo in Nomine Domini*. Et Chrysost. l. 3. De Sacerd. inquit: *Neque enim Sacerdotes cum nos rege-*

nerant, *sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent: infirmatur inter vos aliquis? accersat Presbyteros* etc. S. autem Gregorius data opera *in Sacramentario* Extremæ Unctionis Ritum describit, sicut et aliorum Sacramentorum, ac formam statuit qua Oleum ab Episcopis sit benedicendum. Sed ex universis Græcorum Euchologiis eorundem cum latinis consensus ostenditur, qui utique in eandem fidem non conspirarent, nisi ante separationem communis fuisset hæc inter utrosque doctrina. Denique quodnam tempus assignare possent adversarii, quo hujus doctrinæ mutatio facta sit? Apostolica est igitur dogmatis hujus origo Hinc meritò Conc. Tridentinum Sess. XIV. can. 1. definit: *si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse verè ac propriè Sacramentum* a Christo Domino N. *institutum, et a B. Jacobo promulgatum; sed ritum tantùm acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit*. Quare Patres hoc Sacramentum præsignatum fuisse, cum S. Marcus c. VI. 13. scribit, discipulos a Domino ad prædicandum missos unctione ægrotos sanasse: *Et ungebant oleo multos ægros et sanabant*, generatim sentiunt.

CCXXI. Novatores tamen opponunt 1. Incertum esse, an S. Jacobi Epistola sit Canonica habenda. 2. Eam unctionem idem esse cum gratia curationum de qua Apostolus loquitur 1. Cor. XII. et de qua verba facit S. Marcus l. c. 3. Jacobus vult omnes infirmos inungi, nos autem in extremis tantùm: ille oleo vulgari id fieri jubet, nos oleo consecrato; ut propterea non sit eadem unctio consideranda. Falluntur verò cum hæc Calvinus et alii obtrudunt. Nam ad 1. Canonicam esse Jacobi Epistolam

non tantùm Catholici omnes fide divina tenent, sed et plurimi inter hæreticos; ut Buddeus lutheranus insignis scribat «Hodie inter omnes constat et Jacobum Apostolum esse hujus Epistolæ auctorem, et divinam esse ejus auctoritatem » Quod et Calvinus alibi fassus fuerat. Sed hujus Epistolæ genuinitatem jam demonstravimus, ubi *De Principiis*, et insolentissimæ insaniæ esset id denegare quod Universa tenet Ecclesia. Ad 2. Pluribus de causis ostenditur, *Gratiam curationum* de qua Apost. non eandem esse cum ea Unctione a Jacobo descripta et commendata: Illa erat Gratia, quæ paucis fidelibus concedebatur; hæc autem omnibus solisque presbyteris committitur qui sunt idonei ejus Ministri, Deinde, non dicitur, sanationes illas spirituales etiam effectus produxisse, quos habet hæc Unctio, dimittendi peccata. Nec ad rem faciunt exempla a Calvino adducta de natatoria Siloë, ac de luto ac sputo, quo Dominus cæci oculos unxit, aliisque miraculis; hæc enim extra ordinem facta fuerant, nec ideo instituta ut Sacramenta essent perpetuò duratura. Ad 3. De infirmis graviter decumbentibus Jacobum loqui, inde elucet, quod dicat, advocari Presbyteros, quod in levibus morbis necessum non fuisset, cum ægroti ipsi posset ad Sacerdotes accedere. Hinc est quod antiquitus *Sacramentum exeuntium* vocaretur. Oleo autem communi id factum fuisse, ex suo cerebro eruit Calvinus: Undenam id rescire potuit, cum vetusta Ecclesiæ praxis contrarium probet? Nec de sola corporis sanitate Jacobus est intelligendus; nam sanitatis effectus est secundarius tantum; præcipuus verò in Unctione a Jacobo commendata erat animarum salus et culparum remissio per Orationem obtinenda. Non enim

omnes qui inungebantur sanitatem recepisse legimus; alias nunquam mortui essent.

CCXXII. At dum heterodoxi Traditionem nihili pendere affectant, modo eam hic requirunt, et Dallæus miratur de hoc Sacramento priorum trium sæculorum Patres siluisse; ut hinc detrectet illud agnoscere. Injuria tamen id facit, cum sit hoc argumentum negativum, quod est nullius roboris, nisi alia adversentur. Deinde sufficit Oralis Traditio, quæ præcipuè in Sacramentis servabatur per Disciplinam arcani. Sed nec omnes siluerunt, ut vidimus; cum Origenes, Chrysostomus, Innocentius I. Cyrillus aliique de hac praxi Ecclesiæ in Scripturis fundata apertè locuti sint. Ineptire igitur Dallæus vult, dum positivis argumentis negativa opponit, quasi illorum temporum Scriptores scire debuissent; quod in novissimis diebus exurgerent hæretici, qui neque auctoritati Ecclesiæ, neque perpetuæ praxi, nec Scripturis ipsis crederent, nisi ipsi id tradidissent: quasi divinare debuerint, quod suam auctoritatem auctoritati Ecclesiæ essent prælaturi. Quanquam si et hoc fecissent, ut in cæteris; ita et in hoc eorum auctoritatem contempsissent. Nugantur itaque adversarii; nam cui privato auctori credat, qui non credit Ecclesiæ universæ? Verum præter plura de hac re monumenta quæ extant, legitur in vita S. Eligii Episc. Noviomen. qui anno obiit DCLIX. (Extat in Spicilegio Dacherii T. V.), quod fideles hortabatur, ut ægroti Eucharistiam acciperent, Oleumque benedictum fideliter ab Ecclesia peterent, ut corpus in nomine Christi ungeretur, et ut juxta Apostolum Oratio fidei salveret infirmum, ac etiam animæ sanitatem reciperet. De Ven. Beda autem, qui in

Cap. vi. Marci de hoc Sacramento locutus fuerat, narratur a Trithemio, quod in sua infirmitate *communicatus fuerit, et inunctus*. Quid plura? Nonne ipsi Magdeburgenses Centuriatores Cent. vi. nimia coacti evidentia huic Sacramento apertè favent? Ajunt hi Romanæ Ecclesiæ infensi hostes: « Chrysostomus unus ex vetustioribus Ecclesiæ Patribus verbis Jacobi probat, Sacerdotes potestate pollere remittendi peccata Extrema Unctione, quæ simplex cæremonia non est, sed Ecclesiæ Jesu Christi Sacramentum » Chamierius quoque licet Calvinista adversus Dallæum suum inficiari non est ausus, Unctionem hanc sacram semper fuisse in usu: tantùm vult, uti Sacramentum habitam non fuisse. At petimus: quandonam ergo Sacramentum haberi incepit? Nisi incerta ac frivola proferre valent, quæ Ecclesiæ universæ opponere insania est. Nec motiva desunt, cur de ea frequens mentio antiquitus facta non sit. Nam multa scripta periere: magna Christianorum pars non morbo sed martyrio occumbebant: multi viri sancti de quibus gesta scripta supersunt subita morte e vivis rapiebantur: præterea notissimæ res et quotidianæ frequenter a scriptoribus prætermitti solent, ut mirum non sit, de his sacramentis mentionem sæpe factam non fuisse.

CCXXIII. Hoc itaque Sacramentum fuisse a Domino institutum omni vacat dubio: an verò id mediatè vel immediatè ad fidem non pertinet. Sed post Resurrectionem suam illud Christum instituisse, quando Apostolis potestatem dedit dimittendi peccata verisimilius censetur. Tunc enim ut Actor. 1. habetur, loquebatur cum illis de Regno Dei, seu de Ecclesia sua, atque ut

ait S. Leo, tunc magna sunt confirmata Sacramenta, magna instituta mysteria. De hujus autem materia, constat esse Oleum olivæ ab Episcopo benedictum, cui Feria v. in Cœna Domini nulla fit Sacerdotum salutatio, ut Calvinus errans ait; sed Oleo tantùm Chrismatis et Catechumenorum. Si pro Oleo infirmorum Sacerdos aliis usus esset, Sacramentum iterari deberet, ut S. Carolus jubet. Hoc Oleum simplex esse debet et sine aromatum admixtione, ab Episcopo consecratum, vel saltem a Presbytero ab eo delegato, ut innotescat Christi nomine et auctoritate adhiberi. Sed in Latina Ecclesia soli Episcopo ea consecratio concessa est. Unctio autem est proxima hujus Sacramenti materia. Quantum ad Formam a Conciliis approbatam, quæ modo est deprecativa; quæritur, an indicativè expressa valida sit; et concors sententia est, deprecativam esse oportere; cum habeat S. Jacobus: *Et orent super eum, et oratio alleviabit infirmum*. Quod constat etiam ex formulis quæ olim adhibebantur; hæ quippe ad formam non absolutam sed potius deprecativam reducuntur. Ministros autem solos esse Sacerdotes ritè ordinatos ex eodem Apostolo constat, cum ait: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*: quo Sacerdotes significari certum est ex Traditione et definitione Tridentini; quod et inde conficitur, quia in hujus Sacramenti collatione fiat remissio peccatorum. Nec contrarium docet Innocentius I. qui dum ait Epist, ad Decentium « Sancto Oleo . . . non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti christianis licet, in sua aut suorum necessitate inungendo » Per illud verbum *inungendo* significare vult *inungi* passivè, non in sensu activo, ut subjectum Sacramenti significet, non

Ministros. Hinc postea de Ministro hujus Sacramenti loquens, utitur nomine Presbyterorum, uti Sacerdotum nomine utebatur Chrysostomus. Quod si in Historia Ecclesiastica legitur, sanctos viros aliquando oleum ad infirmos transmisisse, quo se inungerent, non ut Sacramentum conficerent id fiebat, sed ex devotione; ut per gratiam sanitatum et ex meritis vel mittentium vel recipientium sanitatem consequerentur; ut hodie quoque non rarò fit.

CCXXIV. Superest, ut hujus Sacramenti effectus attingantur. Eos ita explicat Tridentinum Sess. xiv. cap. 2. *Unctio delicta si quæ sint adhuc expianda, aut peccati reliquias abstergit, et ægroti animam alleviat atque confirmat magnam in eo misericordiæ divinæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus et morbi incommoda et labores levius fert, et tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.* De fide est ergo quod peccata remittat, si quæ expianda supersunt, seu venialia, seu etiam mortalia cum ignorentur aut confiteri ea ægrotus non possit, dummodo contritus sit nec obicem ponat, ut ideo pœnitentiæ supplementum appelletur. Peccati etiam reliquias abstergit, seu ad malum proclivitatem, animi torporem debilitatemque, et partem etiam pœnarum quæ sunt culpis debitæ, juxta suscipientium dispositiones. Tertio, animam alleviat ad bonum eam roborando et confirmando, ac divinæ misericordiæ fiduciam excitando. Tandem sanitatem impertiri, cum animæ saluti id expedierit, et hoc ex opere operato ac vi Sacramenti propria, ex S. Jacobo evin-

citur et ex Conciliis Cabillonen. Florentino ac Triden. ex quibus hujus effectus est *Mentis sanatio et in quantum expedit etiam corporis*, ut hinc tot effectus Sacramenti hujus rectè his versiculis comprehensi habeantur:

Ungor in extremis, ut fiat Gratia major:
Et morbus levior, et mea culpa minor.

CAPUT XII.

DE ORDINIS SACRAMENTO.

CCXXV. Cum in vera Christi Ecclesia Sacrificium existat propriè dictum, ut supra ostensum est (Num. ccv.), hinc necessum fuit, ut in ea esset Sacerdotium, quo illud ritè ac legitimè offerri posset. Sacrificium quippe et Sacerdotium Dei ordinatione ita conjuncta sunt, ut utrumque in omni Lege extiterit. Quare cum nuperi hæretici sacrificium sustulerint, non mirum quod et Sacerdotium rejecerint, et Ordinem negaverint Sacramentum esse, etiamsi hac in re, ut in multis aliis, varii et inconstantes fuerint. Nam Melanchton Ordinationem ut verum Sacramentum habet, et lutheranorum plerique eam si non propriè, sensu tamen lato Sacramentum appellari volunt; qua distinctione suam inconstantiam tegunt. Calvinus autem postquam duo tantùm Sacramenta posuerat, postea profitetur presbyterii munus inter Sacramenta recensere; idque fecisse dicit, quod hoc non sit fidelibus commune. At hoc presbyterium non extendit ad sacrificandi absolvendique potestatem, sed coarctat ad Evangelii

prædicationem et dispensationem Mysteriorum. Ad nos quod attinet; Ordinis nomen a scriptoribus Ecclesiasticis duplici sumitur sensu. 1. Pro quodam hominum cœtu servitio Ecclesiæ mancipato. 2. sensu Ordo Sacramentum significat, quo ritu solemni ac sacro quidam certis muniis in Ecclesia obeundis ab Episcopo deputantur, ut a Tridentino accipitur Sess. XXIII. cap. 2. *Cum autem divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri possit, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures ac diversi essent Ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad Majores ascenderent.* Ordinatio autem isthæc Χειροτονια sive Χειροθεσια a græcis dicta est, quarum prima vox *Manuum extensionem*, altera *Manuum impositionem* significat, quæ tamen non nisi ad Diaconatum, ad Presbyteratum et ad Episcopatum conferendum adhibetur. Itaque hic Ordo seu Ordinatio, ut a Latinis dicitur, definiri solet: *Sacramentum a Christo Domino institutum, quo Gratia, spiritualisque potestas confertur ad obeunda munia Ecclesiastica, præsertim ad Eucharistiam consecrandam et ad cætera Sacramenta conficienda*. Hæc definitio ad inferiores Ordines licet convenire non possit, recta habenda tamen est, cum rei potiorem partem definiat, uti fieri consuevit. Duo itaque statuenda sunt. 1. Quod institutus sit a Domino Ordo Hierarchicus, seu status quidam Ministrorum Ecclesiæ a laicali statu distinctus. 2. Quod Actio qua hi Ministri constituuntur, seu qua fit Ordinatio, Sa-

cramentum sit. Lutherus utrumque negaverat, ajebatque omnes fideles æqualiter esse Sacerdotes, eandemque in omnibus habere potestatem; sed non licere ea uti nisi consensu communitatis. Hinc natus error jurisdictionis Ecclesiasticæ a fidelium societate conferendæ, quem Edm. Richerium renovasse constat, deinde Just. Febronium ac postea pseudosynodum Pistoriensem adoptasse in secunda Prop. ut hæretica dannata in Bulla » Auctorem Fidei » quæ ita jacet » Propositio quæ statuit, Potestatem a Deo datam Ecclesiæ, ut communicaretur Pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum: « Sic intellecta, ut a communitate Fidelium in Pastores derivetur Ecclesiastici ministerii et regiminis potestas, Hæretica ».

CCXXVI. Demonstrandum est igitur esse in Ecclesia statum Clericorum, seu virorum ad sacra obeunda ac dispensanda fidelibus Sacramenta deputatorum, qui a laicorum statu divîna institutione distinguatur; ut propterea existat Ecclesiastica Hierarchia. Et quidem 1. In Lege Veteri erat Tribus Levi speciali modo ad Sacerdotales functiones peragendas destinata, aliis exclusis omnibus, ut severè puniti fuerint, qui iis se immiscere voluerant; potiori itaque jure in Nova Lege, in qua Sacerdotium multo sublimius debuerat a laicali statu secerni. 2. Id Apostolus sæpe affirmat, ut Actor. 20. cum ajebat: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Ad Ephes. verò c. IV. 11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos... quosdam Pastores et Doctores in opus Ministerii in ædificationem Corporis Christi:* id est mystici corporis Ecclesiæ ipsius.

Et ad Hebr. v. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum ... nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo*. Quæ apertè ostendunt, Christum in Ecclesia hierarchiam hanc constituisse, qui et Sacerdos et Legislator et Rex erat. Nam ut habet S. Petrus Act. v. *Hunc Principem et Salvatorem Deus exaltavit dextera sua ad dandam pœnitentiam et remissionem peccatorum*. Hinc Scripturæ Ecclesiam Christi regnum passim appellant, cui ipse præsit ut fundator et Rex, qui testatur Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra*: nempe in Ecclesia triumphante ac militante; et cum hac pollicetur usque in finem futurum. At cum hic præsit præsentia invisibili, necesse fuit, ut visibiles ministros præficeret, qui primi fuere Apostoli, quibus ait Jo. xx. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*. His Episcopi suffecti sunt, ut habet Apostolus, in Ecclesiæ regimine: quibus si addantur Sacerdotes et Ministri, illa conficietur Hierarchia, de qua Tridentini PP. Sess. xxiii. can. 6. *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam Divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris, anathema sit*. Revera id a tota confirmatur antiquitate, quæ id ipsum docuit. S. Ignatius Epist. ad Trallianos hæc habet: *Cuncti revereantur Diaconos ut mandatum Dei Jesu C., et Episcopum ut eum qui est figura Patris: Presbyteros autem ut consessum Dei et ut conjunctionem Apostolorum: sine his Ecclesia non vocatur*. Sed inter innumera quæ in rem hanc afferri possent, sufficiat responsio Constantini Magni Imp. ad

eos qui adversus Coepiscopus opem petebant; ad quos ajebat: *Deus vos constituit Sacerdotes, et potestatem vobis dedit judicandi; et ideo nos a vobis recte judicamur, vos autem non potestis ab eo judicari.* Hæc est vetus doctrina.

CCXXVII. Opponunt novatores, Ecclesiam non esse societatem a civili societate distinctam; cum ergo principes rempublicam jure gubernent; non est alius principatus, alia hierarchia in societate constituenda; alioquin societas monstrum esset biceps. Sed respondemus, Dominum hanc *hierarchiam* seu *sacrum principatum* instituisse certo certius est, nec tamen inde sequitur, civilem principatum sustulisse, nec in eadem societate duo capita constituisse ad earundem rerum gubernationem. Nam Principes constituti sunt ut civili reipublicæ præsint, et societatis quieti, securitati, et prosperitati consulant, ac præcipue temporali felicitati prospiciant per ea quæ divinis juribus ac legibus non adversantur. At Ecclesiæ Ministri, qui, ut ait Apostolus, *ex hominibus assumpti pro hominibus constituuntur in iis quæ sunt ad Deum, vocanturque a Deo tanquam Aaron*, ex eadem divina dispensatione potiori jure rebus præsunt Religionis ac *positi sunt regere Ecclesiam Dei*, ut per administrationem Sacramentorum homines ad æternam felicitatem perducant. Ad hoc opus est, ut hos homines rectè instruant et erga Deum disponant, quod sine potestate nec esse nec intelligi posset; quare in eo ministerio a Deo tantùm pendent, nec principes sine irreparabili damno, et sine magna in Deum injuria eis se opponere possent. Itaque ut principes in Religionis negotio Ecclesiæ sint subjecti necesse est, ita et Ecclesiæ Ministri

in rebus civilibus, quæ divinis juribus non adversantur, summis imperantibus morem gerant oportet. Atque ita hoc nexu alteri alteros fovent, ut respublica pacatior sit atque beatior. Itaque hoc Hierarchiæ nomen neminem offendere debet, ut in Veteri lege neminem offendebat nomen Αρχιερους, seu *Principis sacri*. Nam dum omnes concedunt, dici posse, in Ecclesia adesse *Hierodiaconiam*, seu Sacrum ministerium, quod ex iis constat qui Religionem regere et custodire debent, quid prohibet dicere, in Ecclesia esse *Hierarchiam?* Nulla quippe alia notio huic voci a PP. Tridentinis jungi potuit, quam hæc, esse in Ecclesia homines peculiari quadam ratione a Christo institutos, ut Religionis et Ecclesiæ curam gererent, quod sine Ministris superioribus et inferioribus esse non poterat, ac proinde sine quadam jurisdictione ac potestate, quæ certe aliena est ab omni tyrannide et imperioso dominatu, ut suspicantur adversarii (*).

(*) Editor Operis *Pensées de Leibniz*. A Paris 1803. T. 2. in 8. seu D. Emery hæc habet pag. 400. T. 2. in Nota. *On ne sauroit trop observer que le respect avec le quel Leibniz a toujours parlé des Evêques de Rome, tout protestant qu'il étoit, le soin qu'il a pris de les disculper, sont une leçon à quelques catholiques qui s'appliquent au contraire à charger ce qu'il y a eu d'odieux dans la conduite ou les entreprises des Papes, et qui oublient, en s'expliquant sur cette matiére, toutes les regles de cette décence, et de cette modération dont on ne doit jamais s'écarter* ... Attulimus in Opere. *De Principiis* de hac re Leibnitii sententiam Sect. III. Cap. XXII. N. 1. Qui plura quoque habet meritò consideranda *in Systemate Theologiæ* sup. memorato N. cxciv. ut pag. 300. cum scribit: «Cum Deus O. M. Ecclesiam constituerit in terris tanquam Civitatem sacram supra montem positam sponsam suam et voluntatis suæ interpretem ... et quam audiri jubet ab omnibus . . . consequens est, ut modum con-

CCXXVIII. Hanc verò Ministrorum Ordinationem esse verum Novæ Legis Sacramentum, Scripturæ apertè testantur. Ad hoc enim requiritur. 1. Ritus sensibilis. 2. Quod Ritus iste vim habeat Gratiam conferendi. 3. Ut sit a Christo præceptus ac permanenter institutus. Ac 1. adesse Ritum externum ac sensibilem Manuum nempe impositionem ex Ordinatione constat Diaconorum Actor. VI. *Orantes imposuerunt eis manus*. Et de Ordinatione Presbyterorum c. XIV. 13. habetur: *Cum constituissent illis Presbyteros*: græcè: *χειροτονησαντες δε αυτοις πρεσβυτερους*: *per manuum impositionem consecrantes eis presbyteros*: Nam hunc sensum præseferre primam illam vocem, ostenditur ex præcedenti capite XIII. 3. in Ordinatione Pauli et Barnabæ in Episcopos: *Orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt*: *προσευξαμενοι, και επιθεντες τας χειρας αυτοις, επελυσαν*. Quod et de Diaconis dicitur c. 6. 6. *επεθηκαν αυτοις τας χειρας*: *imposuerunt eis manus*: potiori ergo jure de Presbyteris est id interpretandum 2. Ritum hunc Manus imponendi vim habuisse conferendi gratiam testatur Apostolus 1. Tim. IV. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione Manuum presbyterii*. Et 2. ad Tim. I. *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te*

stituerit, quo voluntas Ecclesiæ cognosci possit . . . Quoniam autem non semper haberi potest Concilium . . . consequens fuit ipso divino jure et memorabilibus ad Petrum verbis . . . ut unus inter Apostolos, hujusque successor unus inter Episcopos majore potestate exornaretur, ut per cum tanquam visibile centrum unitatis, colligari corpus Ecclesiæ, provideri communi necessitati, et dari opera posset, ne quid res fidelium publica detrimenti caperat etc. etc.

per impositionem Manuum mearum. En Gratia quæ in hac Ordinatione dabatur. 3. Ritum hunc a Domino institutum Scripturæ sæpe testantur. Ut Actor. XIII. Dixit Spiritus sanctus: *Segregate mihi Saulum et Barnabam*. Et 1. Cor. IV. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi*. Ad Ephes. autem : *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos . . . alios verò Pastores et Doctores in opus Ministerii ... Donec occurramus omnes in unitatem fidei*. Quare in perpetuum hoc Ministerium in Ecclesia statutum est; ac ita semper fieri consuevit. Hinc Patres id sæpius affirmant, ut Ambrosius l. de Dignitate Sacerdotali c. 5. *Homo imponit Manus, Deus largitur Gratiam ..., Episcopus initiat Ordinem, et Deus tribuit dignitatem*. S. Jo. Chrysostomus Opus egregium conscripsit *De Sacerdotio*, ubi plura et præclara habentur in hujus Sacramenti commendationem. S. Augustinus l. 2. contra Parmen. c. XIII. a Donatistis petit : *Ipsi explicent nobis quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti et Sacramentum Ordinati possit amitti. Si enim utrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, et illud amittitur?* Et S. Leo M. Epist. XI. alias 81. ad Dioscorum Patriarcham Alex. c. 1. ait : *Volumus, ut jejunis et a jejunantibus benedictio Sacerdotalis conferatur . . . ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum*. Quæ omnia Sacram Ordinationem semper Sacramentum habitam fuisse, et quanta reverentia suscipiendum ostendunt.

CCXXIX. Sed et ex dictis constat, quam vana sint, quæ Theod. Beza cum suis asseclis opponebat, verbum græcum χειροτονησαντες vertendum esse, *creare per*

suffragia populi, quæ suffragia indicarentur per manuum elevationem; ut hæc elevatio manuum non fieret ab Episcopis super his quos initiarent, sed fieret a populo a quo Sacerdotes et Episcopi eligerentur. Inania, inquam, sunt hæc ipso Salmasio judice viro acutæ naris et fautore adversæ partis, eaque auctoritate refelluntur omnium Patrum græcorum qui Apostolis ipsis viciniores erant, et quos, qui ignorasse diceret, quid *χειροτονεια* illa (*Cheirotoneia*, *Manuum extensio*) significaret, is impudentissimus habendus esset. Ritum hunc Manus imponendi Huetius vult a synagoga ad Ecclesiam devenisse, eundemque Christum consecrasse (In QQ. Alnet. l. 2. c. 20.) Nam selecti viri ad locum inter synedrii assessores consequendum, et ad judiciariam obtinendam potestatem per manuum impositionem creabantur. Ita apud hebræos vetustiores Josue ut regeret populum per manuum impositionem consecratus est a Moyse, et septuaginta illi viri, quibus de Spiritu suo Moyses partem dedit itidem per manuum impositionem consecrati sunt. Judaicæ quoque originis est Manuum unctio, quæ uti Sacramenti hujus Materia quædam non quidem essentialis sed integrans ab Ecclesia habetur. Hinc Sacerdotes et Reges hebræorum quod sacro Oleo ungerentur *Christi* id est *uncti* appellati sunt. Denique Manuum impositionem absque ambage ulla affirmat Apostolus 2. ad Tim. c. 1. v. 6. « Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te *per impositionem Manuum mearum* græcè: *δια της επιθεσεως των χειρων μου*: ubi certè nulla populi, aut suffragiorum mentio fit, sed testatur Apostolus per Manuum suarum impositionem Timotheum consecrasse. Itaque de hac re dubium nullum superesse potest.

CAPUT XIII.

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

CCXXX. Connubium, quod honorabile in omnibus vocat Apostolus ad Hebr. XIII. 4. inter Ecclesiæ Sacramenta esse recensendum prostremo loco demonstrandum venit adversus protestantes, qui Lutherum suum secuti Matrimonium e catalogo Sacramentorum expunxere, licet eo nomine lato sensu non diffiteantur posse insigniri. At Calvinus quasi ex tripode affutiebat « illud pro Sacramento datum neminem usque ad Gregorii tempora vidisse: et cui unquam sobrio. subdit, id in mentem venisset? » Nos ex adverso interrogare possemus audacem et impium hominem, cui nam nisi temulento in mentem venire posset, Venerabile connubium e Sacramentorum numero explodere, quod *Sacramentum magnum* vocat Apostolus ad Ephes. V. et quod tota antiquitas ad hanc prærogativam a Domino elevatum agnoscit? Matrimonium itaque definitur: *Sacramentum Novæ Legis consistens in conjunctione maris et feminæ intendentium prolem ad cultum Dei generare atque educare.* Esse divina auctoritate Nuptias institutas, nec a principio malo inductas, contra manichæorum deliramenta Scripturæ apertè docent tum Gen. c. 2. tum apud Matthæum c. XIX. et 1. Corinth. c. 7. idque tres ob fines ut prudentiores docent. 1. Ad rectam generis humani propagationem et prolis educationem. 2. Ad vagas et effrænes libidines coercendas, ut ibid. Apost. v. 9 3. Ad familiarum et domorum adjutorium et sustenta-

tionem. Nam Gen. 2. *Dixit Dominus: Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi*. Apud Hesiodum verò et apud Aristotelem Politic. l. I. tria statuuntur familiæ membra, Vir, uti totius domus princeps: Mulier, veluti custos Domi: et bos arator, veluti instrumentum bonorum quibus familia sustentatur. Tres hos nuptiarum fines ipsi ergo ethnici philosophi cognoverunt. Nuptiæ itaque genericè definiri possunt « Viri et mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens ». Si quis autem horum nominum etymologias optaret: *Matrimonium* dictum videtur a Matre, cum ad hoc sit institutum, ut mulier Mater fiat; non enim alia de causa debet femina nubere, ut observat S. Augustinus l. 19. c. Faust. c. 26. qua in re cum Matris sint præcipuæ partes, Matrimonium potius quam Patrimonium dictum est. *Conjugium* dictum aliqui volunt, quod Vir et femina communi quodam jugo inter se copulentur; sed rectius a *conjungere* dictum videtur. *Nuptias* et *Connubium* appellari vult S. Ambrosius, quod pudoris gratia puellæ olim velo se obnuberent, licet *nubere* de utroque sexu in sacris Literis promiscuè usurpetur; ut advertit Hier.

CCXXXI. Nuptiæ in Christi Ecclesia vel ut contractus spectantur, vel ut Sacramentum. Et quantum ad 1. Quæstio fit, an liceat viro plures esse uxores: An una extincta alteram ducere; adeoque secundas, tertias ac deinceps nuptias contrahere. Hoc postremum veteres nonnulli in dubium vocarunt, ut Montanus, ac Tertullianus ipse et Athenagoras, qui Christiano homini secundas nuptias non licere arbitrabantur. S. Hieronymus licet eas non negaverit, tamen secundas nuptias, ut is qui

erat moribus paulo severior, parum honestas esse volebat; nec enim ignorare poterat, Apostolum eas licere docuisse, ibid. *Mulier alligata est legi, quanto vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat, tantùm in Domino.* Et 1. ad Tim. c. v. *Volo juniores viduas nubere.* Quod opponebant montanistæ, id esse incontinentiæ argumentum, est ineptum; si enim semel primæ nuptiæ concessæ sunt, nemo secundas et tertias, cum Deus id non vetuerit, damnare posset. Cæterum cum ex Religionis instituto debeant homines æterna magis quàm præsentia spectare et contemplari, sanctum consilium est, non a secundis tantum, verum a primis etiam abstinere nuptiis, quæ præsentibus mancipant voluptatibus, sollicitosque efficiunt rerum magis terrenarum quam cælestium. Unde ajebat Apost. *Tempus enim breve est; ut qui habent uxores tanquam non habentes sint . . . præterit enim figura hujus mundi.* Sapienter itaque Ecclesia latina Sacerdotibus, qui ad cælestia curanda vocati sunt, nuptias inhibuit. An liceat verò plures simul habere uxores? inficiari nequimus polygamiam hanc simultaneam esse divino jure prohibitam, ut ex Evangelio constat. Potiori jure polyandria, seu mulieris conjugium cum pluribus viris, prohibita semper habita est, quæ et ipsis gentibus monstruosa habebatur; nec non adulterium omni jure prohibitum, divino præsertim, constat. An vetitæ sint nuptiæ inter consanguineos? Consentiunt omnes, inter parentes et filios connubia jure naturæ vetari. Nam cum uxor æquetur viro, et filii parentibus æquari non possint; hinc adversus naturæ jura sunt nuptiæ hujusmodi. Quare apud nullam gentem ferinæ istæ conjunctiones usurpatæ unquam sunt.

Naturalis quoque honestas improbat nuptias inter fratres ac sorores, postquam humanum genus ab Adæ filiis propagatum est. Sed et divino jure prohibitæ sunt Levitici VIII. *Omnis homo ad proximum sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus.* Quod et ab Ecclesia sancitum est, et in Jure Canonico ac Civili statutum.

CCXXXII. Jure quoque divino modo jubetur ut nuptiæ, quæ semel ratæ et consummatæ fuerint, nulla ratione dissolvi queant, ut dixit Dominus Matth. XIX. *Quod enim Deus conjunxit, homo non separet.* At cum Salvator ipse addiderit: *Nisi ob fornicationis causam*; hinc orta controversia est, an si alter conjugum in adulterium lapsus sit, solvi Matrimonium liceat, et ad alias nuptias transire; quod Valentinianus Imp. gentilibus concessisse videtur. Lutherani et Calvinistæ id volunt, quod Puffendorfius affirmare nititur. Verum Tridentini PP. anathematis damnarunt eos qui dicerent (Sess. XXIV. can. 7), *Ecclesiam errare cum docuït et docet, juxta Evangelium et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel etiam innocentem qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere: Moechari que eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam quæ dimisso adultero, alii nupserit.* Verba itaque Christi D. de divortio quantùm ad thorum intelligenda tantùm sunt, ut tota semper antiquitas intellexit. Ob hanc indissolubilitatem ad quam Dominus Matrimonium revocavit, illud constituisse unum ex septem Evangelicis Sacramentis, et verè ac propriè tale, dogma est in Tridentino declaratum ibid. can. 1. Id verò ex Scripturis

et ex Traditione manifestè evincitur. Scripturæ quidem docent, Nuptias a Deo statutas, benedictas, et gratiis ornatas: Ecclesia verò semper docuit, Nuptias a Sacerdote saltem benedictas, gratiis conjuges cumulare. Revera Apostolus Ephes. v. ob ejus indissolubilitatem, ait « *Sacramentum hoc magnum est*. Nam 1. est signum rei sacræ, cum ex ejus doctrina unionem significet Christi cum Ecclesia. 2. Est signum gratiam conferens, cum gratiam det diligendi alterutrum, ut Christus Ecclesiam diligit, sicuti ait Apost. *Viri diligite uxores vestras sicut Christus Ecclesiam*; quæ pura dilectio absque gratia haberi non posset. 3. Est in Ecclesia perpetuum, quod per se patet, uti Ecclesia perpetua est.

CCXXXIII. Præclara ea de re apud Patres habentur quorum alii affirmant, Matrimonium rem sacram esse, nec in Ecclesia fieri nisi cum Sacerdotis benedictione, ut nunquam ritus profanus ab ipsis habitus sit: Alii nomine Sacramenti illud appellant: Alii declarant, per illud gratiæ augmentum dari: Nam 1. S. Ignatius Martyr Epist. ad Polycarp. ait: *Decet, ut sponsi et sponsæ de sententia Episcopi conjugium faciant, quo Nuptiæ sint secundum Dominum... Nubant in Ecclesia, Benedictione Ecclesiæ, ex Domini præcepto.* Tertullianus l. 2. ad Uxorem habet: *Matrimonium Ecclesia conciliat, confirmat Oblatio, obsignat benedictio, Angeli renunciant, Pater ratum habet*; Dicit, quod confirmet Oblatio, quia tempore Sacrificii fiebat. Ambrosius Epist. 19. scribit: *Conjugium Velamine et Sacerdotali benedictione sanctificari oportet*. 2. Sacramentum illud appellant. Ambrosius l. 1. De Abrah. c. 7. de eo loquens qui alterius uxori vult nubere, ait:

Qui sic egerit, peccat in Deum cujus legem violat, gratiam solvit, et ideo quia in Deum peccat, Sacramenti cælestis amittit consortium. Et S. August. de Bono Conjugali c. 18. *In Christianorum nuptiis plus valet sanctitas Sacramenti, quam fœcunditas uteri*. Quo Sacramenti nomine Augustinus pluries Conjugium exornat. 3. Gratiam in eo conferri testatur S. Athanasius Epist. ad Ammon. cum ait: *Qui ducit uxorem, etsi parem gratiam non consequitur cum eo qui virginitatem complectitur, consequitur tamen aliquam, quippe quæ ferat fructum centesimum*. Idem docet S Cyrillus Alex in Joan, l. 2. c. 22. Et S. Innocentius I. Epist. 9. ad Probum, *Conjugium divina gratia fundatum* dicit; atque ita PP. passim. Tota itaque Ecclesia vetus tam Orientalis quàm Occidentalis in hanc doctrinam concordat, eaque in tribus Conciliis Generalibus sancita est, in Lugdunensi II. an. 1274 in quo Græcorum cum latinis unio facta est; In Florentino in Decreto pro Armenis: et in Tridentino Sess. XXIV. can. 1. *Si quis dixerit, Matrimonium non esse verè et propriè unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum; sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit*. Quod hic ajunt hæretici, Nos Sacramenta pugnantia admittere, quasi Sacramentum Ordinis pugnet cum Matrimonii Sacramento, est prorsus ineptum; Nam 1. Conjugatus de consensu uxoris separari et ordinari potest, manente vinculo conjugali. 2. Non Sacramentum cum Sacramento pugnat, sed unus status altero perfectior est. 3. Conveniens erat, ut Christus Sacramenta institueret, alia pro validioribus, pro infirmioribus alia.

CCXXXIV. Sed hîc Quæstio exoritur: an quodlibet Christianorum Matrimonium Sacramentum sit propriè dictum. Et respondetur, communem esse contra paucos sententiam, Matrimonium si legibus Ecclesiasticis non irritetur, posse inter Christianos haberi ut contractum, nec esse tamen necessariò Sacramentum: opposita enim sententia nullo fundamento neque in Scripturis, neque in Conciliis aut Patribus nititur. Quod si Tridentinum declarat, *Matrimonium baptizatorum esse verè ac propriè Sacramentum*, id intelligit, quoties requisita omnia ad Sacramentum constituendum reperiantur, nempe Ecclesiae Minister, intentio faciendi quod facit Ecclesia, et ritus ab Ecclesia institutus; ut propterea nec clandestina matrimonia, si ea deerant, neque ante Tridentinum Concilium, Sacramenta fuissent. Hinc monet Card Pallavicinus in Hist. l. 23. c. 9. *numquam declarasse Concilium matrimonia clandestina fuisse Sacramenta*: idque prudenter et consultò fecit, ne quod liberæ opinionis est et controversia scholæ in fidei dogma converteret. Nam si ea matrimonia semper fuissent vera Sacramenta a Domino instituta, quomodo Ecclesia nulla et irrita in posterum ea declarare potuisset? Contractum igitur irritum fecit, quod legibus subjacet; non Sacramentum, ut quidam opinabantur; quod si fuisset divinum opus, humanis legibus abrogari non poterat. De Ministro itaque hujus Sacramenti, licet disputetur, sint ne ipsi contrahentes, ut Auctorum turba contendit: an verò Sacerdos; qui Nuptiis benedicit; hæc posterior sententia potius probanda videtur, quam Melch. Canus l. VIII. De Locis c. 5. aliique celebres Theologi et Canonistæ ante ac post ipsum adornarunt. Nec

ea nova est censenda, cum sententiis Patrum conformior sit, ut vidimus. Si quis autem legerit Vindicias Jac. Hyac. Serry in Canum, is discet, eandem fuisse sententiam Gullielmi Archiep. Parisiensis, Pet. Paludani, Sim. Vigonii, et etiam S. Thomæ in 4. Sent. Dist. 1. quæst. 2. a. 3. aliorumque. Sed et eandem gravissimè propugnant ex recentioribus Nat. Alexander, Pet. de Marca, Casper Jueninus, aliique Theologi Galli et Itali non pauci.

CCXXXV. Ratio, qua potissimum moventur laudati Theologi, est, quod Sacramentorum Ministri ordinarii sunt Sacerdotes: extraordinarii verò nulli admittendi sunt, nisi aut ex Scriptura aut ex Traditione de eo privilegio constet. Id autem cum in hoc Sacramento non constet, relinquitur, Ministros esse Sacerdotes. Quocirca Nuptiæ nisi a Sacerdote benedicantur, ratæ quidem essent ut contractus, non verò ut Sacramentum. Itaque de fide est, Matrimonium, quod inter personas baptizatas et habiles ad contrahendum, ritu Ecclesiæ legitimo perficitur, verum esse ac propriè dictum Novæ Legis Sacramentum; uti contra hæreticos definitum est. Ita illius dignitati consulitur, et dicta Patrum melius custodiuntur, qui ad hoc Sacramentum conficiendum benedictionem Sacerdotis requirunt, ut Ambrosius: *Conjugium Sacerdotali benedictione sanctificari oportet:* et Tertullianus ajebat: *Quod Ecclesia conciliat, obsignat benedictio*. Quare Franc. Card. Toletus l. 7. Instit. c. 2. disertè affirmabat; *Efficientem causam Matrimonii esse ipsos contrahentes, in quantum est contractus quidam; at verò, ut Sacramentum, Deum esse causam principalem, et Ministrum esse causam instrumentalem, sicut in aliis Sacra-*

mentis. Nec sententiæ huic repugnat Rituale Romanum, cum potius ei faveat dum ait: *Admoneantur præterea conjuges, ut... ad Matrimonii Sacramentum suscipiendum pie accedant* etc. Non ergo ipsi Sacramentum suo consensu mutuo conficiunt, sed a Ministro Sacerdote suscipiunt, ut sint subjectum, non causa, aut Ministri; alioquin duo Ministri essent, Vir et Mulier, et essent simul subjectum et Ministri, quod absonum videtur. Minister itaque dum ait, (habito conjugum consensu): *Ego conjungo vos in Matrimonium, in Nomine Patris* etc. Sacramentum conficit: aliàs verum non diceret Sacerdos, si per consensum mutuum jam Matrimonium uti Sacramentum confectum fuisset. Et quidem hæc sententia non modo est omnium antiquissima, sed nemo ex veteribus contrahentes dixit Sacramenti Ministros, at fuit haec recentium scholasticorum opinio; cui plures inter veteres stant ex adverso, qui benedictionem Sacerdotalem uti gratiæ productivam habuerunt. Materiam itaque hujus Sacramenti in legitimo partium contractu, seu in mutuo consensu partium, positam esse apertè constat; ut in Pœnitentiæ Sacramento sunt pœnitentis actus: De Forma etiam quæstio esse nequit, quin posita sit in Sacerdotis verbis « Ego vos in Matrimonium conjungo in Nomine Patris etc. » aut aliis idem significantibus verbis. Hanc laudabilem esse sententiam non abnuit eruditissimus Sum. Pontifex Benedictus XIV. in celebri sua Synodo Diœcesana l. VIII. c. 13. ubi postquam utriusque sententiæ rationes exposuerat prolixa oratione, tandam n. IX. concludit: *Utriusque opinionis solidiora fundamenta innuimus non animo quemquam inducendi ad unam, aut alteram ample-*

ctendam; sed ut Episcopis sit persuasum, utramque esse probabilem, suosque habere magnæ auctoritatis patronos atque inde non decere discant, ut ipsi Judicis partes assumant, quæstionemque definiant, de qua Ecclesia nihil hactenus pronuntiavit, sed Theologorum disputationi permisit »

CCXXXVI. Denique Ecclesiam frui potestate statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia et vetustissima Ecclesiæ praxi, et Tridentini Concilii decreto certum est; cum sit Ecclesia interpres et judex Juris Divini, ut definire debeat quibus in casibus ex Juris divini et naturalis præscripto Matrimonium validum non sit; tum etiam quando consensus invalidus sit inepta Sacramenti materia, aut quando dignitatem Sacramenti dedeceat ad nuptias turpes aut illegitimas illud adhibere, aut nullum reddere. Hoc itaque jus et potestatem hanc hæretici injuria prorsus Ecclesiæ denegarunt, quibus Launojus accesserat, et nuperrimè adhæsit Synodus Pistoriensis in damnatis propositionibus per Bullam « Auctorem Fidei » quæ ordine sunt LVIII. LIX. et LX. Sed ea de re expedit rursus audire Leibnitium in Opere « Systema Theologicum » supra notato n. CXCIV. in nota, ubi pag. 324. et seq. ait: « Itaque præstat in his omnibus Ecclesiæ judicium sequi et potestatem agnoscere, quæ etiam circa impedimenta Matrimonii elucet.... Eadem Ecclesia etiam nova Impedimenta statuere potest, quæ contractum Matrimonii irritum faciant.... Cæterum etsi Matrimonium sit Sacramentum, et irreprehensibile censeri debeat, fatendum tamen est ob manifestas rationes et consensum populorum et verba expressa Scripturæ Sacræ, plus laudis habere cælibatum castè

servatum ; nam et mens solutior est ad cælestium rerum contemplationem, et animo et corpore integro purius digniusque Sacra tractantur... cujus gratiam Deus devotè invocatus nemini negat »

COROLLARIUM.

CCXXXVII. Quæ hucusque de Mysteriis Gratiæ divinæ pro hominum redemptione ac felicitate a Christo Domino peractis contemplati sumus, tot tamque eximia sunt, ut mens in admirationem rapta exclamare cum Chrysostomo compellatur: *Hei mihi! quot ad salutem nobis viæ*. Ille enim, *cum in forma Dei esset in gloria Dei Patris*, non modo nostram dignatus est sibi assumere humanitatem et conversari nobiscum, ut verbo et exemplo nos doceret salutis viam; sed et in ea humana forma pro nostris culpis satisfacere voluit *factus obediens usque ad mortem, cujus livore sanati sumus*. Hæc mysteria planè divina, et præterea quæ in illius ortu, vita, et pretiosa morte evenere, nec non in gloriosa sua Resurrectione et Ascensione in Cælum, summatim collecta et illustrata habentur in prima et secunda Sectione, ubi et insana incredulorum objecta dissipata inveniuntur. Verum Redemptor noster *ascendens in altum non reliquit nos orphanos, sed Gratiam Spiritus Sancti effudit in nos abundanter, deditque dona hominibus*. Hæc Gratiarum munera in Sectione III. considerantur, ubi de Gratiæ Divinæ auxiliis, quæ nobis necessaria sunt ut Deo placeamus recteque operemur, pertractatum est. Tum in IV. Sectione de Actibus supernaturalibus Fidei, Spei, et Caritatis ope ejusdem Gratiæ nobis concessis, quibus ad Deum assurgimus et

cælestem quandam societatem in terris adhuc degentes cum eo inimus, disputatum est quantum fuit satis. Tandem in Sectione v. Septem Novæ Legis Sacramenta exponuntur, seu Media quibus hæc divina Gratia nobis infunditur, aut restituitur, vel quibus in nobis augetur, et cujusvis hominis conditio et status ornatur, et communitur. Hæc verò iis argumentis demonstrata sunt, ut qui infeliciter his detrectaret fidem, et prudentiæ et rationi jam valedixisse ostenderet. Quis itaque tot beneficiorum adeo immemor, ut Redemptori nostro grates non rependat debitas?

CCXXXVIII. Hæc utique ita se habent: at quidam sunt, qui postquam in Christi Domini Ecclesiam connumerati fuerant, vel pravis affectibus corrupti, vel in superbiam elati quod in naturalibus cognitionibus nonnulla intelligunt vel sibi videntur intelligere ope suæ rationis, in tantam arrogantiam venere, ut sibi arrogent nihil velle admittere, nulli assentiri, nisi quod privatæ suæ rationi, ut ajunt, conforme apparet, aut quod planè comprehendere sibi confingunt posthabito quocumque communi consensu, et spreta quacumque optimorum auctoritate. Hi *rationalistæ* vocari amant, quasi ipsi soli ratione utantur: alii omnes, licet summa ratione legitimæ auctoritati acquiescant, sint servum pecus. Illi in binas secernuntur classes. Sunt qui divinam Revelationem omnino respuunt, et apostatæ atque increduli habentur: Hi contra SS. Religionem tanta impudentia obloqui pergunt, quasi veram non esse certi facti essent. An aliter majori procacitate ac malitia loqui et scribere auderent, ut fecisse vidimus in Sect. II.? Sed etiamsi absurdum hunc errorem suadere sibi potuissent, quid

eis mali fecit hæc Religio quæ non nisi ad probitatem et ad felicitatem ducit, et a qua tota reipublicæ tranquillitas pendet, ut eam tanto odio lacessant? Quid si nec remotam de ea dubitationem sibi queant confingere? Sed tantisper demus dubios hærere et anxios; nec enim plus sibi arrogare queunt: non ne eo in casu curare debent æquo animo ut veritatem inveniant; nec ullo modo, nisi stultè ac imprudentissimè, ut in blasphemias et in maledicta erumpant, aliosque decipiant? Altera classis rationalistarum est illorum qui profitentur divinam Revelationem in sacris Scripturis contentam recipere atque amplecti: (pudet eos fortasse tantam abjicere auctoritatem); at cum respuant Ecclesiæ catholicæ magisterium, nihil aliud in iis intelligunt, nisi quod ipsis lubet, omniaque ad privatum suum captum accommodant: Imo in eas ita grassantur, ut diceres, minimè Dei verbum, sed quasi hominum idiotarum scripta habere. Progrediuntur ulterius: volunt, non Ecclesiam modo universam usque ab initio in his libris intelligendis deceptam fuisse, quæ literali sensu plura usurpaverit quæ symbolico et figurato essent accipienda; sed et Apostolos Christi ipsius verba præposterè intellexisse et juxta captum vulgi prædicasse (Sect. I. n. XCI. etc.): Moysen verò et prophetas facta historica retulisse, non ut res actæ sunt, sed ut ferebantur in ore vulgi mythicis narrationibus et fabulosis non raró commixtæ. Quid plura? non ne blasphemare audent, Christum ipsum vulgi opinionibus se in multis attemperasse, non in naturalibus tantùm, sed et in doctrinis quæ ad historiam referebantur, ad Messiæ characteres et munia atque ad alia plura, quas amphibologias et ambiguitates ipsi post quindecim

sæcula tandem suo acumine detexerint et explanarint? Hæc est Socinianorum temeraria et impia agendi ratio, qua divina Mysteria omnia a Sacris Libris expungunt et ad humana aptant opinamenta; quam agendi audaciam nemo crederet; nisi in suis libellis eam patefacere non veriti essent. En quò eos pertraxit suus effrænis *rationalismus*! nempe ut pecudum morè nihil admittant nisi quod manibus tangunt et vident oculis. Nos verò qui mysteria profitemur, uti in Catholica Ecclesia edocentur, *supernaturalistas* appellant, ac doctrinam nostram *supernaturalismum* dicunt, quasi esset quædam secta fanaticorum hominum, et non potior ac melior hominum pars in id consentiret. Hunc communem consensum omnium temporum omniumque locorum cum præsumpti rationalistæ abjiciunt ut sibi solis fidant, non agnoscunt in verum fanatismum ruisse?

CCXXXIX Nam nulla Veritas tanto est argumentorum pondere demonstrata ut est supernaturalis Revelatio facta divinitus in Veteri ac in Novo Testamento et in Catholicæ Ecclesiæ auctoritate, sine qua Revelatio illa non inutilis modo, sed et perniciosa fuisset. Ea argumenta adeo invicta prudentibus omnibus visa sunt, ut hæc revelata Religio statim fuerit ubique recepta, ac in eam tandem orbis universus melius excultus consenserit, licet nec hominum fastui, nec superbiæ blandiretur, nec pravis affectibus indulgeret, nec ullam polliceretur terrenam prosperitatem, sed virtutes omnes et ardua quæque pro debito honore Deo exhibendo juberet, quæ nisi miraculis et rei veritate perculsæ gentes non facile credidissent. Quare æquum esset, ut rationalistæ, qui tantopere de sua imbecilli ratione superbiunt,

sedulo expenderent, an aliqua philautia, aliisque inordinatis affectibus ducantur, cum inaudito contemptu hanc communem consensionem spernunt et ab ea schisma faciunt, ut privatis suis opinamentis adhæreant. Et quidem injuria indignantur rationalismi fautores, quod Revelatio Mysteria doceat intellectui nostro impervia. An hoc jus Deo denegabunt? An censebunt Deum jubere, ut ea sine ratione credantur? An putabunt intrinsecis tantum rationibus esse acquiescendum, extrinsecas autem licet validissimas nullo esse in pretio habendas? Non arbitramur adeo stultè sentire. Itaque si inaccessa intellectui nostro Mysteria sunt, at non sunt inaccessa rationi. Hæc duo confundunt rationalistæ, quæ prorsus fuerant distinguenda. Non ne plura in naturalibus obscura occurrunt, quæ recta cum ratione ab omnibus et ab ipsis admittuntur rationalistis? Potiori itaque jure in rebus divinis plura debent esse obscura, quæ cum constet esse manifestata a Deo, a recta ratione sunt admittenda. Modo ratio ostendit argumentis innumeris hanc factam esse hominibus revelationem; rationi ergo valedicunt rationalistæ cum illam agnoscere renuunt. 2. Est communi rationi consentaneum ea admittere non solum quæ a priori, ut ajunt, sive per causam demonstrantur, sed etiam quæ a posteriori seu ab effectibus ostenduntur, quæ sunt maxima nostrarum cognitionum pars; sed mysteriorum revelatio optimè ab effectibus demonstrata est, ut sæpius vidimus; quare sociniani rationi adversantur dum illa rejiciunt, quod ea ipsis a priori non constent. 3. Aliud est existentiam cognoscere, aliud essentiam. Existentia est factum quod argumentis externis, physicis et moralibus demonstratur, cujusmodi est divina revelatio, quæ a pluribus hominum myriadi-

bus invictè agnita est: essentias autem rerum modo agnoscere nobis datum non est; desipiunt ergo Sociniani, qui mysteria rejiciunt, quod intimam eorum non comprehendant essentiam, de quorum existentia certi facti sunt. 4. Aliud quoque est quærere, an aliquid sit? et quærere; quid aut cur sit? Prioris generis multa nobis cognita habentur, pauca posterioris; quæ tamen esse abnegare nequimus, ut plura sunt quæ sensuum aut hominum testimonio certa habentur; licet eorum essentia aut causa lateat. Ut quid ergo id reposcant in rebus divinis? 5. Demum sedulo distinguendum est inter objectum fidei, et rationem fidei seu motivum. Fidei objectum nemo non noverit ex parte saltem obscurum esse oportere; alioquin non esset objectum fidei, sed scientiæ: Motivum autem est ratio et causa ob quam mens credit seu firmiter assentitur, ex. g. auctoritas narrantis, aut testium multitudo etc. Nam si non firmiter assentitur, tunc mens non crederet, sed aut dubitaret, aut opinaretur. Itaque quantum ad rem nostram Mysteria divinitus revelata sunt fidei objectum: Motiva credendi sunt argumenta credibilitatis, quæ sup. Sect. I. N. LVII. et seq. indigitavimus: Hæc adeo sunt demonstrativa, ut nulla alia veritas apud prudentes philosophos majori certitudine queat ostendi.

CCXL. Cur ergo increduli, cur sociniani ea Mysteria credere nolunt? Triplici de causa. 1. Quia motiva hæc non considerant aut leviter tantùm expendunt, vel in nullo alio occupantur quàm in difficultatibus excogitandis, quibus ea motiva in sua mente obscurent. 2. Quia ut hæc credantur non sufficit ut intellectus convictus sit, sed requiritur præterea recta voluntas et amor sincerus inveniendi veritatem eamque amplectendi, quicumque sint humani affectus, quæcumque obstacula

quæ superari debeant ut Deo placeamus eidemque obtemperemus, uti par est. 3. Requiritur, ut Deum oremus suppliciter, *ut adaperiat cor nostrum in lege sua et in præceptis suis.* Nam licet in necessariis Deus non desit, vult tamen ut ejus imploremus auxilium quo repugnantiam et superbiam vincamus ac tentationes superemus, quæ saluti nostræ opponuntur. ut sacræ Literæ sæpe adhortantur. Utinam, qui catholicæ veritati adversantur, hæc præstent sicuti oportet: nullum dubium, quin eam sint veritatem adepturi, quam tanto studio tantoque conatu se inquirere profitentur. At nisi ea removeant quæ dicta sunt: nisi adimpleant quæ recta ratio postulat ut veritas detegatur, nunquam sperare poterunt se prudenter gerere in re tanti momenti a qua tota nostra ac æterna felicitas pendet. Anperpetuo dubii, anxii, inconstantesque fluctuabunt? Quod heri opinabantur, hodie respuent: Quod sibi sapere hodie videntur, cras abnegabunt, *semper discentes* ut ait Apostolus (2. ad Tim. 3. 7.) *et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes*, nec in alio ullo constantes nisi in rejicienda legitima Ecclesiæ Auctoritate? At cum nisi quod eis lubet credunt, videant, an hæc sit ea Fides *sine qua impossibile est placere Deo*. Optamus itaque ne in divinam eam sententiam incurrant: *Qui non crediderit, condemnabitur;* sed ut potius convertantur *ad prudentiam justorum*. *Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent!*

IN I. VOLUMINE DE MYSTERIIS G. D.

ERRATA QUAEDAM EMENDENTUR.

Pag.	Lin.		
11.	23.	quatuor	quinque
21.	11.	nullus aliud	nullus alius
85.	13.	es se.	esse
140.	16.	par se	per se
205.	28.	dumv iator.	dum viator
207.	14.	rogatos.	rogatus
229.	22.	in mundus.	in mundum
256.	19.	Αευι	Λευι
312.	2.	antùm	tantùm
320.	13.	rationi uti	ratione uti
327.	18.	Christianismum	Christianismus
302.	31.	*acheropeetam*	*acheiropeetam*
431.	12.	παζων.	παθων
439.	21.	et verò	at verò
448.	18.	disuaderentur	dissuaderentur
461.	4.	ambò	amabò

IN II. VOLUMINE.

11.	7.	everunt	evertunt
14.	18.	confortur	confertur
71.	19.	aque	itaque
130.	14.	nulla	nullam
169.	15.	demerere	commerere
221.	31.	ci ca.	circa
240.	1.	in vexisse. Se	invexisse. Sed
293.	10.	in illud ipsum	in illum ipsum
299.	9.	procul est	procul este
309.	17.	impossibilis	impossibili

ANACEPHALAEOSIS

VOLUMINIS II.

DE MYSTERIIS GRATIÆ DIVINÆ.

ALIA NONNULLA IN I. VOL.

DE PRINCIPIIS THEOLOGIÆ REPERTA

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGANTUR.
124.	31.	permissus	permissas
184.	24.	pofessa	professa
232.	3.	Agiographi	Hagiographi
245.	4.	tenebrioribus	tenebrionibus
292.	31.	deligerent	diligerent
298.	6	factæ	factas
3.2.	3.	exprobabant	exprobrabant
334.	21.	divinus	divinas

IN VOL. II.

29.	4.	mansuram	mensuram
79.	15.	Revelationi	Revelationis
149.	21.	si eam	si eum
163.	21.	Innocentium	Eugenium
282.	19.	hæc jura stent	hæc jura non stent.

IN VOL. *DE REBUS DIVINIS*.

Pag.	*Lin.*	ERRATA	EMENDENTUR.
111.	16.	accomodatam	accommodatam
23.	2.	creda	credat
41.	11.	esset	esse
118.	12.	sint	sinit
125.	29.	pœna	pœnæ
143.	17.	quare	quave
180.	25.	conformas	coufortmes
197.	15.	non nisi	nisi
214.	31.	et verò	at verò
222.	22.	ὁμοιονσιον.	ὁμοιουσιον
324.	6	grammaticus	grammaticos
347.	12.	perniciam	perniciem
352.	28.	servat	servet
391.	20.	imposterum	in posterum
464	7.	immuni	immunis
478.	3.	destituti	destitui
484.	27	precatio	precario
488.	14.	existerit	extiterit.

Alia, si quæ occurrent sphalmata, humanus lector facilè condonabit.